DISSERTATIO INAVGVRALIS CHIRVRGICO-MEDICA

DE

PANARITIO,

QVAM
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
AVCTORITATE ET CONSENSV

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRO

GRADV DOCTORIS
MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

AVCTOR

JOH. LVDOLPHVS ALBERTVS FOCKE.

HANNOVERANVS.

DIE VI. APRILIS MDCCLXXXVI.

GOETTINGAE,
TYPIS HENN. MART. GRAPE, ACAD. TYPOGR.

Vexata in quacunque parte corporis ſint, quamprimum ſic curari debent, ut qua dolor eſt, ea ſcalpello cutis crebro incidatur, detergeaturque eodem averſo profluens ſanguis, quod ſi paulo tardius ſubvenitur, jamque etiam rubor eſt; qua rubet corpus: ſi tumor quoque acceſſit, quaecunque is eſt, id optimum auxilium eſt.

CELSUS de Medicina Lib. 7. Cap. I.

osse in disquisitione periostio suo destituto; post ejus conspectui objectionem, os siccum, & læve & flavum, ceterum nullum ichorem effluentem observamus. *Humida* alia, ut eam cognoscamus nobis exhibet phænomena. Ossis exesa, peraspera superficies, ichor fœtidus, niger, lintea nigro ornans colore, ex ulcere promanans, nullum, hujus cariei præsentiæ, dubium restringit.

(*Indicantia.*) Purulentia præter magnam diuturnitatem clausa, a periostio suo ossis superficiem denudans, externam exhibet causam occasionalem. Causa interna non raro adesse solet, v. g. metastasis quæ cariei siccæ plerumque pro origine est. Ossis mortificatio atque arrosio causam constituit proximam. Pro symptomate ichorem, perpetuæ inflammationi nutrimento inservientem, habere possumus.

(*Indicationes.*) Indicationis causalis ratione, in occasionalem internam inquiramus, eique convenientibus remediis obveniamus. Ad causam proximam autem quod attingit, partem ossis arrosam vel emortuam a sano segregare conemur. Palliative ichorem corrigere, ejusque non impeditum effluvium promovere, atque inflammationem ulceris solvere necesse est.

(*Indicata externa*) In extrema, vel carie humida vel sicca, affecta phalange, exfoliationem vel excitare, vel spontaneam exspectare, fas non est; teste enim experientia os, spongiosa structura præditum, mox plane a carie offenditur, quin & proximam phalangam carie sæpe incendere observa-

tum

tum ſit; quod ex perioſtii ad alium articulum tranſitum haud ægre explicari poteſt. Veterum quod ſciam, ALBUCASIS primo oſſis extinctionem vel exſtirpationem laudavit. l) Recentiorum BISSET, hanc operationem inveniſſe ſe jactans, eam commendavit. m) Ad unguis latus inciſionem parallelam ſupra arteriam, ne digiti apex lædatur, inſtituendi laudat. Ut varia huic methodo objiciam, licitum mihi erit. Ad pus evacuandum loco neceſſario in digiti phalange extrema facta, vel ſpontanea in digiti palma diſruptio orta eſt, cur igitur novam ſectionem faciamus? ut nervi vaſaque non lædantur & apici parceatur; nonne apex magis offendi periclitetur, ſi nervorum trunci a latere ad apicem ramos dimittentes, diſſecentur? nonne porro, vaſa nervique aliquando a ſitu naturali digredi, aberrare, atque tali modo ſauciari poſſint? nonne oſſis exſtirpatio ejusque a ligamentis & tendine ſeparatio magnis objecta eſſe debeat difficultatibus? Tandem ægrotantes vix admittent novam ſectionem. Ex his colligere licebit, quod oſſis exſtirpatio per primam aperturam dilatatam commodius fieri poſſit. Dolendum, quod hæc operatio aliis rigidiori ſtructura ornatis oſſiculis locum habere non poſſit; in his enim caries totam oſſis ſubſtantiam non penetrat, & remediorum anticarioſorum uſu oſſis conſervationem expectare poſſumus. Uſum autem quem exhibet hæc methodus, in eo conſiſtit, ut unguis & digiti apex ſerventur, atque

cura

l) Method. medendi Lib. cap. 89.
m) Medical eſſays and obſervat. pag. 310.

cura brevius peragatur. Apud cariem in aliis phalangis occurrentem indicationes supra stabilitas nostras ponamus. Ideoque os, ut in conspectum veniat, vulnus dilatetur, os denudatum cum spongia marima Liq. a. m. H. vel Ess. myrrh. imbuta obtegamus, ut morbosum exfolietur. Cavendum autem, ne in horum usu excedamus modum, atque os sanum offendamus. Inde uno die spongiam his remediis humectatam apponamus, expectemus tunc per aliquod dierum spatium num exfolietur, si non fit, hæc repetenda sunt. Aliquando Chirurgi opera actum agunt, osque plane consumi videtur, tunc causam internam habeat suspectam. Topice in hoc casu digiti amputatio in usum trahenda est, ne ex una phalange corrupta proxima quoque infestetur. Ichorem spongiæ marinæ cum antisepticis potionatæ applicatio egregie corrigit. Huic scopo ideo conveniunt, decoct. cort. peruv., scord., flor. cham. &c. quibus bis de die deligatio & sæpe repetita humectatio, vel digiti in hæc immersio fieri potest. Spongia ichorem absorbet, ejusque reservationi optimum infert obstaculum. Inflammationi per emollientia anodynaque obvenire possumus. Subinde autem propter longam inflammationis permansionem stagnat sanguis, magisque resolventia ad discutionem requirit. Fortasse supra jam laudatum lixivium egregia afferet opera. Vulneris ipsius labia cum digestivis, donec omni inflammatione sint destituta, deligare congruit. Exfoliatione facta, ichoris malignitate cessata, inflammatione resoluta, vulnere pure sano nitente, hoc ipsum ad sanationem, in priori specie indicato modo, perducatur.

(Indicata interna.) Cauſa occaſionali interna a Chirurgo diſquiſita, per remedia vel methodica vel ſpecifica eam aggrediatur. In cauſam internam præcipue ſuſpicionem conferre licet Chirurgo, in carie externis auxiliis obſtinate reſiſtente, perpetuo in os ipſum ſe expandente, viciuaque oſſa corripiente.

III. Stadii gangrænæ & ſphaceli curatio. Ad hujus ſtadii diagnoſin quod attingit alio loco jam locutus ſum, ideo hujus loci, de ejus curatione mihi tractandum erit. Ab obſervatoribus gangræna in *ſiccam* & *humidam* dividi ſolet. Siccam ab uſtilagine oriri ſe obſervaſſe contendunt autores. In vero panaritio quod hucusque deſcribere ſuſceperim, humida pleruinque occurrere conſuevit, ideo de hac verba mihi tantum facienda ſunt.

(Indicantia.) Cauſa proxima ſolidorum & fluidorum in mortificatione atque putrefactione continetur. Exſtant autem variæ occaſionales cauſæ ſtadium inflammationis in hoc malignum convertentes. v. g. Nimis magna inflammationis vehementia, propter nimiam partium reſiſtentiam o). Humorum, cujusvis indolis ſit, cacochymia. Primarum viarum ſaburra. Metaſtatica materia quædam. Fere omnes partes deſtruentes contuſiones externæ. Aër impurus. Victus pravæ indolis &c. Symptomata hic obſer-

o) *Dionis* l. c. pag. 723.

ſervantia plerumque febre ſanguinea- vel bilioſo-putrida, ex ichoris abſorptione ortum trahentibus, vel inflammatoria cum inflammatione externa complectuntur.

(Indicationes.) Dum ad cauſam reſpicimus, tam cauſam proximam quam occaſionalem in conſiderationem trahamus. Ratione occaſionalis cauſæ omnem artis medicæ peritus Vulnerarius ponat operam in ejus diagnoſin & curam; quibus prolixe verba hic facere, ſpatium non admittit. Proximæ cauſæ autem ratione, putridas emortuasque partes a vivis diſpeſcere, putredinemque corrigere, neceſſe eſt. Palliativa indicatio in febrium concomitantium tractatione verſatur. Ideoque ſi febris putrida urget, eam corrigere ichorisque abſorptionem cohibere; in febre bilioſo-putrida nata indicatione ſimul evacuantibus uti, & in febre inflammatoria tam externa quam interna adhibere antiphlogiſtica, viribus contendamus. Prophylactico ſcopo ſex rerum non naturalium ordinem quadrantem præſcribamus.

(Indicata externa.) In putridarum partium a ſanis divortium laborem inſumamus, neceſſe igitur eſt, ut inflammationem & ſuppurationem in vivis digiti ſolidis & fluidis excitemus. Chirurgus itaque ad ſenſiles vivas partes usque inciſiones ſcarificationesque faciat. Harum in-

ſtitutione cavendum, ne a lateribus in arterias reddantur ſectiones, & nimia hæmorrhagia oboriatur. Quam normam ex TOMLINSONI obſervatione ſtatuere mihi licebit. p) Sectionibus factis linteo carpto vel ſpongia marina eximantur ichores. Inflammatione ſufficiente in circumferentia præſente, corrigentibus externis non irritantibus cum emollientibus ac digeſtivis utamur. v. g. Flor. cham. Cort. peruv. Camph. cum emollientibus anodynis forma cataplasmatis vel fomentationis adhiberi poſſunt. Digeſtiva ſectionum fundum attingant. In affecti digiti ambitu autem pallido, laxo, dolore experte apparente inflammationem procreare operam ſumamus. Fundus cæſurarum itaque irritantibus pharmacis obtegatur, v.g. Theriaca, ℞. canthar., Pulv. ſemin. ſinap., empl. nigr. ſulph. Bechholtz., circumferentiæ gangrænæ cum aromaticis ſpiritibus frictio convenit, ſimul corrigentibus ex antiſepticorum penu deſumtis utendum eſt, v. g. Aceto, vino, Cort. peruv., flor. cham. &c. quæ forma cataplaſmatis vel pulveris gangrænoſo digito applicentur. Ichoris abſorptionem commode per inciſionum copiam, antiputredinoſorum forma ſicca applicationem, & cum ſpongia marina deligationem prohibere valemus. Amputationem varii autorum in prima, gangrænæ ſphacelique origine laudant. Sem-

p) l. c. pag. 72.

Semper hæc methodus non commendanda, fiat operatio illis ab Ill. RICHTERO egregie ſtatutis indicationibus. q)

(*Indicata interna.*) Cauſis internis occaſionalibus Chirurgus medicinæ conſultus medeatur. Si febris putrida ſanguinea ægrum cruciare obſervatur, interne china, acidum vitrioli, alumen, valeriana, ſerpentaria, camphora, arnica, reſpectu ægrotantis ſtatus ſpaſtici vel colliquationis, vel enervationis urgentis, conducunt. Febris bilioſo-putrida ſimul reſolventium evacuantiumque uſum nata indicatione flagitat. In febre inflammatoria urgente, interne methodus antiphlogiſtica jam indicata neceſſaria eſt, ſed venæſectione hujus loci caute & parce utendum eſt.

(*Indicata diætetica.*) Aër generatim ſit purus, cibus in putrida urgente febre acidus vegetabilis v. g. ex fructibus horaeis. Febri inflammatoriæ convenientem diætam jam annotavi. Potus ſemper ſit copioſus, mucilaginoſus, in febre putrida acidus. Se & excretiones omni modo ſerventur, & animi pathematibus, hoc ſtadio non mediocre periculum afferentibus, abſtineat æger.

Speciei dorſalis ſuperficialis curatio.

I. Stadii inflammationis cura. Stadium hoc ſingulari gaudet qualitate, quod nempe facile tranſeat in ſuppurationem, uti fere omnes autores aſ-

q) l. c. pag. 78.

ferunt, quin etiam modo non femper delabatur unguis. Arteriarum arcus unguicularis non exiguum hic inflammationi exhibet fomitem; accedit praeterea partis mollities ut cedere poffit. Nofcitur ex fignis fuis jam indicatis.

(*Indicantia.*) In folidis caufa proxima eft mediocris humorum affluxus, in fluidis ut plurimum ftagnatio. Symptomata præfertiffima in dolore rubore atque tumore continentur.

(*Indicationes.*) Affluxum igitur minuere & fanguinem ftagnantem folvere laborem impendamus. Palliative dolores leniendi tumoremque difcutiendi ratio eft.

(*Indicata externa.*) Primo igitur fupra in ftadio inflammationis primæ fpeciei generalia externa laudata cum leniter adftringentibus & refolventibus adhibeantur; hæc enim tumorem ac fanguinem ftagnantem propellunt. v. g. Infuf. flor. cham. & hyofc. cum lixivio faponario, liniment. ex vitell. ovor. cum fale, liniment. volatile &c. fortaffe quoque hujus loci vaporis balneum conducit, cujus Cel. DE HAEN mentionem fecit, ex aqua communi & quinta parte aceti; expreffis verbis notat: *adeo laxat ut tota manus rugefcat, tantæ eft penetrabilitatis & laxitatis.* r) His omnibus in brevi temporis fpatio experte fructu adhibitis, ad operationem confugiendum eft. Cum fcalpello igitur integumenta externa incidenda funt, ut fanguis promanet; ceterum omnia jam indicata methodo

r) l. c. pag. 217.

thodo fiant. Indicatis internis & diæteticis rariſſime uti neceſſe eſt.

II. Stadii ſuppurationis cura. Fruſtra remediis, ad inflammationem ſolvendam, applicatis atque ægro non admittente inciſionem, ſuppuratio fit, quæ notato modo tractanda. In unguis abſceſſione præcipuam curam ſuſcipere velle non licet. Videndum tantum, ne ſub ungue inſinuetur pus atque caries oboriatur. Delapſo ungue ad minimum loci attactum fieri ſolent dolores; indeque varii autores locum ſiccis pulveribus inſpergere ſuadent, ne papillæ ab externis lædantur injuriis. Mihi vero cera molli loco affecto applicata, laude Plattneri s) illis pulveribus præferenda eſt, injurias enim externas melius arcere videtur. Tunc unguis a fine ſuo incipit iterum increſcere, donec integre perficiatur. Deligatio commode cum theca digiti a chirotheca deſumta fit. Stadium gangrænæ rariſſime hac in ſpecie obſervari conſuevit.

Profundæ dorſalis ſpeciei curatio.

I. Stadii inflammationis cura. Cum illo ſtadio inflammationis profundæ palmaris ſpeciei ratione indicantium, indicationum & indicatorum plane congruit, ita ut in repetitione me obruerem, ſi ſpeciatim hujus loci loqui vellem; ergo nihil aliud adjiciendi mihi ſupereſt quam operatio ratione encheireſis ab illa diverſa. Omnibus igitur

 intra

s) l. c. pag. 60.

intra breve temporis intervallum incaſſum impenſis remediis, ad hanc operationem confugiendum. Angulo vitri acuto ſubtiliter abradere unguem uſus eſt facto, donec tenuiſſimus fiat, variis in locis reſcindi vel incidi poſſit, ut affluxui ſanguinis locus cedatur.

II. Stadii ſuppurationis curatio, Confecta purulentia, citius quam fieri poteſt, fiat unguis abraſio, donec lanceola eum penetrare poſſit, & materiæ exitus detur, ne mala oboriantur ſymptomata. Niſi fiat operatio, ſuppuratio extenditur, totus unguis corrumpitur, imo phalanx ipſa ſæpe perit, caries enim familiare ſymptoma eam corripit & conſumit; pus extenſoris tendinem quoque afficere poteſt. Unguis delapſui ex ſuo capite medeatur. Quod reliquum eſt, omnia ut in profunda ſpecie palmari ſanentur.

III. Stadii gangrænæ medela. In hoc ſtadio eadem inſtituetur operatio, plana unguis deſtructio eſt neceſſaria, ne ichor aliquo loco ſtagnet & phalanx perdatur.

Chronicæ ſpeciei medela.

Hujus ſpeciei decurſus, ſtadiorum diviſionem vix admittit, fere continuo perſeverat in ſtadio irritationis, ideoque de hac pauca adjicere valeam. Primo a Cel. Acrel obſervata fuit, & amputationem digiti ægri ſupra locum doloris qua unicum ex obſervationibus comprobatum auxilium laudat.

t) Cau-

t) Caufa interna præcipue hic urgere videtur, atque ni fallor materia arthritica. Nonne offis exftirpatio methodo ALBUCASIS f. BISSETI inftituta, hac in fpecie fufficeret? Unguis & digiti apex hac ratione fervarentur.

CAP. XI.

De medendi ratione caufas occafionales fpectante.

Propter fpatii defectum de caufis occafionalibus externis, omiffis internis, verba hic tantum facere poffum; attamen ad internarum catalogum inveniendum quoque in re medica verfatus Chirurgus judicio fubacto fit præditus, iisque tunc medeatur. Præter generalem jam medendi rationem laudatam, ad caufam procatarcticam fimul, indicationem figamus. Præcipuas igitur caufas occafionales indicationem præftantes hic notare ftudebo. Omnes caufas occafionales externas ad tres claffes reducere, non incommodum judico, quæ nempe caufam proximam aliam nempe indicationem præbentem, progignunt. Sunt igitur caufæ occafionales vel *irritationem*, vel *atoniam vaforum*, vel *humorum ftagnationem* efficientes. Probant quoque ab autoribus commendata remedia; alii enim adftringentia, alii anodyna, alii emollientia in ufum trahunt. In genere bene notandum, quod ad caufas occafionales indicatio in ftadio

t) l. c.

ſtadio irritationis & inflammationis locum tantum habere poſſit.

(*Cauſæ irritationem ſolam efficientes.*) Vulnera punctura facta. Leve vulnus quodcunque. Morſus apum. Acria externa. Combuſtio. Corpora aliena intruſa. Furia infernalis. Omnia hæc irritamentum ægre ſolvendum involvunt. Indicatio inde haurienda eſt, ut irritationem ſive cauſam proximam & dolorem effectum ſcilicet, leniamus. Sequentia ergo præter generalia tam in irritationis quam inflammationis ſtadio adhiberi poſſunt. Empl. theriacale, unguent. & ol. de hyoſc. empl, de cicuta, fomentatio cum lacte calido in quo theriaca ſoluta, applicari poſſunt, atque digiti contra injurias externas defenſio. Corpora aliena vel cum volſellis, vel per inciſionem eximantur. Furiam infernalem cum caſeo non ſalito e corpore ægri in caſeum elicuit SOLANDER u).

(*Cauſæ atoniam edentes.*) Ex aëre rigidi digiti ſubitanea incaleſcentia. Digitorum contuſio & compreſſio ſunt cauſæ atoniam producentes; ergo præter generalia lenia adſtringentia, ut tonus integer reſtituatur, adhibeantur. Cel. THEDENII faſciatio cum aqua ſclopetaria præcipue convenit, acetum in quo ſal ammon. ſolutum, ſpirit. vini, ſpirit. vini camph., herbar. aromat. infuſiones, Liniment. volat. &c. Omnia hæc commode cum præſcriptis generalibus conciliantur, ſymptomata enim ſunt doloroſa. In fere plane conquaſſatis

u) l. c.

VIRO ILLVSTRISSIMO

ATQVE

EXCELLENTISSIMO

DOMINO

LIBERO BARONI

DE HAMMERSTEIN

IN MILITIA POTENTISSIMI GEORGII III.
MAGNAE BRITANNIAE REGIS SVMMO
LEGIONIS EQVITVM PRAEFECTO

DOMINO ATQVE FAVTORI SVO
LONGE GRATIOSISSIMO

SPECIMEN HOCCE ACADEMICVM

DEVOTA MENTE SACRVM FACIT

IPSIVS NOMINIS
DEVOTISSIMVS CLIENS
J. L. A. FOCKE.

INTROITUS.

Praeterlapso illo tempore, quo medicinae elementarius versatus sit academiis, ut diligentiae suae testimonia in publicam lucem edat, exigitur. Meo igitur finito studio his officiis munus quoque conficere debeo. Haec munia in eligendo elaborandoque argumento non mediocrem mihi attulerunt difficultatem. Per longum inde temporis spatium in angustiis versabar, quamnam medicinae vel chirurgiae partem submitterem studio atque elaborationi. Cum in chirurgiae studio praecipue fixurus sim operam, hujus scientiae perlustratio, mea sententia, non satis exaratam materiam, Panaritium *scilicet, tandem suppeditavit. Quantum ideoque in me erit, & quoad tenuitati meae licebit, hanc materiam elaborare conabor. Primo hujus loci non incommodum esse existimo, de anatomica digitorum structura eatenus hunc morbum contingente, varia praemittere; quae nobis, multorum phoenomenorum symptomatumque hoc morbo occurrentium explicationem, eorumque medendi methodum exhibitura sit. Ceterum morbi definitionem, sedem causas, &c. tractabo. Priusquam autem ad rem ipsam me converto, Lectores benevolos enixe rogatos volo, ut, quaedam iis in hoc inaugurali specimine non satis elaborata, obventura, velint haud immemores esse a juvene atque artis salutaris tirone specimen hocce edolatum, atque ob temporis defectum fere elucubratum esse.*

CAP.

CAP. I.

Anatomica digitorum manusque constructio.

(*Praemonitum.*) Quantum intersit Chirurgo, illius partis affectae curationi suae submissae, naturam fabricamque cognitam habere, vix monere ausim. Docet enim egregia haec scientia Chirurgo in usum vocare commoda medicamenta, sed quod res maximi ponderis est, operationes aliasque encheireses chirurgicas tutius, aegrotanti quoque commodius adhibere. Hisce ex rationibus opere pretium arbitratus sum, illarum partium hoc morbo, quem describere mihi est in animo, infestantium, anatomicam constructionem praemittere. Morbus quem *Panaritium* vocare consueverunt, cum autem manus digitos praesertim, rarissime illos pedum corripere observetur, de illorum fabricatione mentionem hic facere, sufficere existimo. Benevolos Lectores autem obtestor, ne ex me desiderent succinctam exquisitamque partium commentationem. Propositum, ut notaverim, eo solum valeat, quod, ad hujus morbi notionem, explicationem atque curam, partes manum formantes necessarias describam. Sed ad rem, & molliarum partium basi, *Ossibus* scilicet, inchoare ratio est.

(*Ossa digitorum.*) Non exspectetis Lectores mei ossium divisionem, ordinem atque configurationem, ab eorum fabrica verba aliqua, modo adjiciam. Per totam ossium phalangum substantiam

tiam diploën laxam medullulosam, cum ossea tenera lamella amictam, ita ut per acrimoniam quandam haud aegre consumi possit, observamus. Ratione spongiosae structurae autem extrema phalanga omnibus aliis praevalet. *(Periostium.)* Periostium immediate ossa haec cingens, supra capsularia ligamenta, ubi vel progrediuntur vel insertionem petunt, superscandit, & trans ligamentum alteri ossi iterum se applicat. Ne autem invicem coalescant periostium atque ligamenta, interposita cellularis membrana huic impedimento est. *(Ligamenta.)* Ligamentorum, hodie per rigorosa examina Cl. WEITBRECHT, satis exarata constructio, ad manus firmitatem actionemque non exiguas affert suppetias, quibus nunc, necessaria quoque allegare, mihi est consilium. Perceptionis gratia in duobus ordinibus haec ligamenta considerare cogor. De ligamentis digitorum ossium primo, deinde de tendinum ligamentis necessaria quoque adjiciam. *(Membrana capsularis.)* Omnes digitorum phalangum extremitates cum membrana capsulari circumdantur, qua se invicem conjunguntur. Corroboratur haec conjunctio per extensorum tendines ac flexorum vaginas, quae illis accuratius affiguntur. *(Usus.)* Inde palam est, ad horum ossium consociationem, nec non ad motum harum phalangum infrigendum, haecce ligamenta exhibere debita auxilia. *(Ligamenta lateralia.)* Ligamenta lateralia, ad utrinque articuli latus locata, a

 dorso

dorſo extremitatis phalangis inferioris ad palmam oblique deſcendunt, ibique in extremitate phalangis proximae ſuperiore inſinuantur. *(Uſus.)* Praeſertim digitorum, ab-& adductionem limitare inſerviunt.

(Ligamentum cutaneum.) Ligamentum cutaneum ex latere condyli phalangis mediae digitorum proficiſcitur, ac in palmae cutem prolixe expanditur. Praeterquam aliquae fibrae, in illam cutis partem papillas nerveas obducentem, inſinuantur. *(Uſus.)* Utilitatem praebet, quod formet cutem, praecipue autem quod in digiti extenſione erigat papillas nerveas.

(Ligamentum laterale ſubtenſum.) Ligamentum laterale ſubtenſum phalangarum extremarum, eſt ligamentum ab utrinque latere tertiae phalangae apicis originem trahens, ad ſuperiora adſcendens, ubi inſeritur. *(Uſus.)* Cutis illi ſeſe inſinuat & ad unguium adhaeſionem ſecuram inſervit.

Ligamenta tendinum in vola manus, digitis & circa carpum.

(Aponeuroſis palmaris.) Aponeuroſis palmaris immediate ſub cute volae manus forma fibroſi plani poſita eſt. Hujus fibrae longitudinales a ligamento annulari proprio ortum capientes, radiatim in palma a ſe invicem divaricantur, atque in quinque faſciculos tendineos diviſae ad digitorum palmas abeunt. In palmae parte media

dia per fasciculos transversales illi fasciculi conciliantur. Iis arteriae, nervi atque flexorum tendines ad digitos emergentes subjacent. *(Usus.)* Haecce aponeurosis omnium musculorum palmae actionem corroborat, praesertim omnibus arteriis, nervis & tendinibus praesidio est.

(Ligamentum carpi proprium.) Ligamentum carpi s. annulare proprium ex firmissimis ac strictissime fibris tensis compositum anatome id observavit. Adnascitur ossi pisiformi ac multangulo majori. Duo haec ossa pro musculorum flexorum collocatione formant sulcum hoc ligamentum tamquam chorda subtendentem. *(Usus.)* Usum exhibet hocce ligamentum, quod flexorum tendines contineat, eorum motum facilius reddat, atque pollicis nec non digiti minimi musculis propriis adhaesionis locum commodum tradat.

(Ligamentum carpi palmare.). Ligamentum carpi palmare commune proprie nec in carpo nec in palma locum occupare observamus, sed supra articulationem positum est. Immediate cuti subjacet, & fibris transversalibus constructum est. *(Usus.)* Praestat usum, quod flexorum tendines ad manus palmam progredientes complectetur. Ab aliis hac ratione *Ligamentum armillare* quoque vocari solet. *(Ligamenta vaginalia.)* Ligamenta vaginalia primae & mediae phalangae ex articulationum marginibus proficiscuntur, atque supra flexorum tendines tenduntur.

 (Usus)

(*Usus.*) Usus eo valet, quod tendines hic firmi tenerentur.

(*Ligamenta cruciformia.*) Ligamenta cruciformia sunt ligamentula in phalange prima & media flexores decussantia. Us m antecedentium praebent. (*Membrana tendinum communis.*) Membrana tendinum communis, membrana tenuis est, ac cellulosa. (*Usus.*) Omnia notata ligamenta ita conjungit ut videantur continuum, impedit itaque ligamentorum divaricationem. Praesertim synoviae tendines lubricanti pro armariolo est. Ceterum tendines suis locis fixos tenet. His praemissis ad musculos transire mihi licebit; quorum contemplationem termino meo consentaneam, nunc aggrediar.

(*Sublimis musculus.*) Sublimis s. Perforatus ortum suum condylo ossis humeri flexorio atque superficiei ulnae internae debet, brachii in latere interiore descendit, circa antibrachii mediam partem in tendinem mutatur; proficiscitur tunc sub ligamento annulari proprio ad palmam, ubi in quatuor tendines divaricatus ad digitos, excepto pollice projicitur, atque in primae phalangae palma in duo crura s. junctus ad phalangem secundum evadit, ejusque marginibus insinuatur. Haec crura perforantis tendinem amplectuntur. (*Usus.*) Praestat memorabilem usum, quod secundam phalangem flectat.

(*Musculus profundus.*) Profundus s. Perforans enascitur a superficie ulnae anteriore ligamen-

gamentoque interoſſeo, in parte brachii anteriore, ſub ligamento annulari proprio ad palmam emergit. Priusquam ſub ligamento tranſit in quatuor tendines diviſionem patitur, ſub perforato in manus volam ad digitorum, excepto pollice, phalangem primam usque projecti, ubi ſublimem transforant, ſupra ſecundam phalangem tranſeunt, atque ibi in duo crura ſeparati internae ſuperficiei phalangis tertiae affiguntur. (*Uſus.*) Inſervit hic muſculus flectendi phalangem tertiam digitorum. (*Flexor pollicis.*) Flexor pollicis proprius longus projicitur a parte anteriore & ſuperiore radii ligamentoque interoſſeo. Tendineam in naturam mox tranſit, ſub ligamento annulari per oſſis multanguli majoris ſulcum ad phalangem pollicis ſecundam progreditur, ibique ejus ſuperficiei volari inſeritur. Ligamenta ſupra jam notata hunc tendinem propria vagina tendinoſa incluſum, phalangis affigunt. (*Uſus.*) Hic muſculus phalangem ſecundam flectit.

(*Pronator quadratus.*) Pronator quadratus, pollicaris latitudinem habens, a parte inferiore marginis interioris ulnae originem petens, transverſaliter tunc ad ſuperficiem radii anteriorem projicitur. (*Uſus.*) Radium in pronationem vertere adjuvat. Haec de muſculis ſcopo noſtro ſufficere credo, atque de arteriis neceſſaria quoque nunc proponam.

(Arteria radialis.) Arteria radialis inter musculum radialem flexorem atque supinatorem longum ad radii processum styloideum fertur. Varios hic ramos articulationis ligamentis cedit atque *ramum volarem* creat.

(Ramus volaris.) Ramus volaris postquam musculis adjacentibus pollicis dederit ramos, prope annulare ligamentum in palmam emergit; tunc immediate sub palmari aponeurosi ante hoc ligamentum cum ramo ex ulnari arteria *arcum superficialem volarem* formare solet.

(Arteria ulnaris.) Arteria ulnaris inter musculum digitorum sublimem atque flexorem ulnarem ad carpum proficiscitur; circa os pisiforme ex ea projicitur ramus ad manus progrediens & ramum immediate sub palmari aponeurosi jacentem cum ramo ex arteria radiali *arcum volarem superficialem* exhibens formantem.

Arcus volaris superficialis in complexu aponeuroseos palmaris tendinumque flexorum haeret. Ex eo rami digitales prosiliunt.

(Arteriae digitales.) Arteriae digitales ad decem usque anatomicis numerantur, digitorum in facie radiali ac ulnari ad apicem usque decurrunt, in digitorum cutim ligamentaque vicinia atque articulos ramos deponunt. Utrinque latere decurrentes arteriae in extremae phalangis superficie palmari in arcum coalescunt, ex quo ad nerveas papillas prorsum evadunt rami.

Utrin-

Utrinque autem hujus arcus latere ſub unguis radice curvantur ramuli ſe invicem conciliantes atque *Arcum unguicularem* ſuppeditantes, ex quo unguium arteriae nutrientes proſiliunt.

Sufficiant haec de arteriis, ad nunc tranſire neceſſe eſt ad nervos.

(*Nervus medianus.*) Nervus medianus ſub flexore carpi radiali ſub ligamento annulari proprio ad palmam decurrit. Vel ſupra vel infra ligamentum in diverſos ramos ſecedit. Progredientes tunc rami ab aponeuroſi palmari atque tendinibus flexorum amplexi, arcum volarem ſuperficialem concomitantes cum cubitali nervo per anaſtomoſin conjunguntur. In quemlibet flexorum tendinem nerveus ſurculus tranſit, eique fixa tela celluloſa adnectitur. Ut brevibus verbis exponam, in ſeptem filamenta diviſionem patitur, quorum duo pollicem, flexorem ejus brevem muſculum ſcilicet & latera petunt. Reliqui ad ulnares radialesque digitorum ſuperficies emergunt. Excepta ſuperficie digiti annularis ulnari, ac ſuperficie ulnari atque radiali digiti auricularis.

(*Nervus cubitalis.*) Nervus cubitalis arteriam ulnarem concomitans, ad carpum progrediens, in duos capitales ramos, *dorſalem* nempe & *volarem* partitionem experitur. Quorum dorſalis unum ramum in manus dorſum mittit, iterum duos ſurculos digito auriculari nec non an-

nulari exhibens; atque alterum filamentum lateri digiti medii ulnari impertit.

Volaris ramus ſub annulari proprio ligamento cum ulnari arteria in volam emergens in duos ſurculos diviſione conqueritur, in *ſublimem* ſcilicet & *profundum*.

Quorum ſublimis noſtrae notationis dignus auriculari digito utrinque latere mandat ramum. Annularis digiti porro ſuperficie ad apicem usque emergit, atque cum mediano plexum format, ſicuti in aliis digitis ex mediani ramis fieri ſolet, in quo tactus ſedem occupat.

(*Nervus cutaneus internus.*) Nervus cutaneus internus major digito medio annulari atque auriculari filamenta nervea mittit.

Ignoſcatis lectores benevoli, niſi nervorum diſtributionis pluribus verbis fecerim mentionem. Ut mea fert opinio horum diviſio, Chirurgum eousque attingit, quod dira hoc morbo occurrentia ſymptomata inde explicare poſſit; ad operationes quod ſpectat, ut ſufficienter experientia probavit, nihil referre videri, & aegrum nulla conqueri noxa ex unius vel alterius ſurculi diſſectione. Ingens enim nervorum, manus occupans, numerus, noxas inde ortas facile reſarcire valet. Clariorem nervorum deſcriptionem amans plura inveniet apud Cl. CAMPER a) & KLINT b).

Hiſce

a) Demonſtrat. anatom. patholog. Lib. I.
b) Comment. anat. de nervis brachii Goett. 1784.

(*Involucra communia.*) Hiſce omnibus in attentionem tractis, de involucris omnes has partes includentibus communibus neceſſaria quoque colligere cogor. Dividuntur in *epidermidem* & *cutem*.

(*Epidermis.*) Epidermis ex pluribus tabulatim impoſitis lamellis conſtat, praeſertim autem illa pars volam occupans, quae ad cornu naturam ſubinde accedere videtur, in illis moleſtis laboribus indulgentibus hominibus obſervatur tali modo conſtructa.

(*Cutis.*) Cutis manuum magnopere tenax denſa, & ſubjacentibus partibus firmiter annexa, per anatomen demonſtratur, ut ex tendinoſarum partium reti, aegre diſtentionem quandam admittente, conſtructa eſſe videatur. Omnes cutem conſtituentes partes reliquae, v. g. vaſa exhalantia atque abſorbentia, nerveaeque papillae in membrana adipoſa & tendinearum fibrarum interſtitiis diſperguntur.

Et haec de anatomica partium fabricatione ſufficiant, ut ad morbi ipſius conſiderationem nunc majorem impendere poſſim operam.

CAP. II.

De panaritii definitione.

Ad morbi deſcriptionem priusquam transeam, morbi definitione rem aggredi, hujus loci non abſonum erit. Ideoque duplicem morbi definitio-

finitionem, nominalem ſcilicet & realem afferre, fas eſt.

(*Definitio nominalis.*) *Panaritium*, *Poronychia*, *Reduvia*, *Reluvia*, *Redivia* germanice Wurm am Finger omnia, illius morbi quem deſcribere propoſuerim a plurimis autoribus pro ſynonymis habentur; cui alii autem adverſari conantur, dum inter paronychiam & reduviam differentiam ponunt. Reduviam, cuticulae ab unguis radice reſolutionem, affectus aegre aggrediens & germanis Niednagel vocatus, ſignificare ſtatuunt. Plurimi autem huic differentiae obſunt ergo mea ſententia, vox populi, vox Dei. Reliqua nomina brevitatis gratia ſilentii ſipario imponam. *Paronychia* verbum a graecis mutuo eſt acceptum aliisque voculis compoſitum παρα ſcilicet, *ad* ſ. *juxta* & ὄνυξ, *unguis* propter mali circa unguem ſaepius apparitionem. Datur hujus nominis herbae ſpecies a Cl. LINNEO *Illecebrum paronychia* notata. Veteres enim hanc herbam in panaritio in uſum vocare conſueverunt unde nomen accepiſſe a plurimis aſſeritur. *Panaritium* teſte GLANDORPIO alienis ex linguis procreata eſt vocula c) *Reduvia*, *Reluvia*, *Redivia* voces latinae linguae originem ſuam debentes circa unguem *circulum* proprie ſignificant, germanicam demoninationem (Wurm am Finger) jam obſoletam obſervamus; a TEOPHRASTO PARACELSO enim ex dolore rodente primo in

c) Opera omnia, Tractat. de paronych. cap. 6.

in medium protulisse videtur d). Revera tamen panaritium ex verme dari SOLANDER primo litteris mandavit e), quae igitur germanicam denominationem non plane rejiceret. Hucusque in germania autem nondum observata haecce species, unde hoc nihilo modo nos attingere credo. In plebe autem hancce appellationem semel receptam cur ad nihilum redigamus? sufficiat nobis tituli significatio.

(*Definitio realis.*) Ad realem definitionem quod contingit, inter autores, ad aetatem nostram usque de hoc morbo aeternitati quicquam consecratos, magna versatur dissensio. Sic. v. g. GLANDORPIUS nimis amplam, modo non totius morbi decursum complectentem exhibet definitionem f). Alii ad inflammatoriorum tumorum classes numerant panaritium. Teste experientia autem, hic morbus inflammatione subinde experte observari solet. Omnes autorum definitiones hic in medium proferre mihi non est animus; quod enim autores, tot fere existunt definitiones. Ideo hic, vulgatissimam, ut mihi videtur non veram, atque a plurimis receptam definitionem allegare, postea autem meam rationibus comprobatam adjungere, mihi erit consilium. *Panaritium* (ut vulgari titulo utar) *extremae phalangis digitorum est inflammatio, cum vel sine*

d) Lib. de apostemat. cap. 17.
e) Acta societ. scient. Upsal. Vol. I. pag. 57.
f) l. c. cap. 5.

ſine tumore inſigni, magno dolore ad brachii flexuram ſubinde ſe extendente, & febre conjuncta. Sic uno ex ore omnes fere hujus morbi neotericorum ſcriptores clamant. Omnia haec autem veram definitionem non praeſtare, monſtrandum nunc putamus noſtri officii.

Nunquam morbus cum inflammatione exordium capit, nullo modo ad morbi eſſentiam pertinet, ſed inter decurſum accedit; quod mecum affirmat WEDELIUS. g) Probant porro Aëtius h) aliique panaritium in *incipiens, inflammatum, ſuppuratum* atque *exulceratum* diſcernentes. FABRIC. *ab* AQUAPENDENTE *vitium hoc inter initia*, inquit, *cum ſcilicet incipit digitus dolere, hoc eſt, in prima doloris invaſione, ubi neque adhuc in digito tumor ullus aut rubor apparet &c.* i) Quomodo fieri debet, quod ſtatim in his firmis partibus oboriatur inflammatio? nonne per aliquod temporis intervallum, priusquam produci poſſit phlogoſis, irritamentum agat in digitum? Ingens remediorum empiricorum catalogus multa phlogoſin excitantia complectens, nec minus, inflammationem morbi eſſentiam non contingere, probat. Extremam in phalangem ſpeciatim panaritium invehi contra pugnat experientiam, apud GLANDORPIUM enim legimus, alias phalanges huic

g) Diſſert. de paronychia. Jena 1674.
h) Tetrabibl. 4. ſermo. 2. cap. 75.
i) Opera chirurg. ſect. de operat. chirurg. parte I. pag. 103.

huic morbo quoque obnoxias eſſe. k) Nullo modo porro tumor quoque in eſſentialem definitionem trahi poteſt. Sic affirmat Cl. DE HAEN, inquiens, *vix dignoſcitur tumore malum* l) Dantur adeo panaritii ſpecies, quibus fuſius alio loco dicendum mihi erit, omni tumore expertes. Tumor phlogoſisque morbi decurſum vel progreſſum comitantur, vel accedunt imo conſtituunt ſubinde, atque a tempeſtiva adhibita cura ſibi timent. Chronica illa a Cel. ACREL obſervata ſpecies ſine omni tumore apparuit. m) Febris tandem, ut ex uſu compertum habent, non ſemper, ſed fortuito accedere, obſervatur. Omnibus ex his colligere licebit, notata haec, ad definitionem realem omnino referri non poſſe, ſed de ſede, cauſa, cura, habitu corporis aliisque rebus pendere. Dolorem omnium jure ad definitionem realem retulerunt ſcriptores. Nunc tibi L. B. objurgare licet, quaenam vera definitio nunc ſit? Ego affirmo, *Dolorem* ſive *dolorificum affectum* verum eſſentialem panaritii conſtituere characterem. Ut rationibus nunc conformem ſententiam meam, omnibus viribus laborem in rem inſumam. Aſſidua nobis teſtatur experientia, morbum ſemper dolore initium capere, dolorem hunc, aegrum in morbi progreſſum corripere atque augeri & ad morbi ſanationem usque

k) l. c. cap. 14. pag. 29.
l) Praelect. patholog. edit. a WASSERBERG Tom. I. pag. 209.
m) Chirurgiſche Vorfaelle, 2ter Band, pag. 208.

usque, plane non extingui. Cel. BOERHAVE hoc comprobare videtur, dicens: *si tenuissima pungitur acicula sub unguibus nervus, manebit fere dolor, donec homo moriatur.* n) Omnia huic morbo obvenientia symptomata topica quam maxime dolorosa sunt. Nonne laterum dolores semper *pleuritidis* nomine ornantur, etiamsi omnia phlogosis signa plane absint? Dolor laterum constantissimum est pleuritidis symptoma, ergo mihi quoque, dolorem aliquam digiti phalangam occupantem, appellare *panaritium* licebit. Illae a Cel. ACREL dono nobis datae observationes, nonne manifeste dolorem qua panaritii essentiam declarant? Per annorum intervalla enim dolore conquerebantur aegrotantes. o) Mecum tandem sentiunt Cel. DE HAEN inquiens: *panaritium dolor est acutissimus* p), atque Cl. BOERHAVE cum odontalgia comparare ausit, dicens: *odontalgiae praecipua est essentia dolor, ergo in paronychia.* q)

CAP. III.

De morbi sibi relicti vel neglecti decursu, & symptomatum explicatione.

(*Decursus.*) Nunquam non in una vel altera parte digiti, cum dolore, aliquando in parte affecta perseverante, nonnunquam se extendente,

n) De morbis nervorum. pag. 238.
o) l. c.
p) l. c. p. 209.
q) l. c. p. 238.

tendente, quin ad axillas usque aſcendente, ita ut totum interdum brachium trahatur in conſortium, morbus incipit. Continuo enim augetur dolor, ita ut intra duodecim horarum ſpatium non raro per totius brachii circumferentiam propagetur. Dolorem per aliquod temporis intervallum perdurantem, vel ex irritamento increſcentem, inſequitur ſemper vel cum vel absque tumore atque cum tenſione & pulſatione utplurimum conjuncta inflammatio. Dolor nunc fit atrociſſimus, & multoties per volam ac manus dorſum ad ligamentum annulate usque, inflammationem tumoremque ultra fines loci affecti digredi, obſervamus; & quod peſſimum eſt, ſubinde ſupra hoc ligamentum iterum incipit, atque ad antibrachium & cubiti flexuram usque, quin ad axillas proficiſcitur. Vaſa lymphatica ipſa, vehementiori in malo a digito ad axillam, imo glandulae ipſae tumefactae ac dolentes obſervatae ſunt. Sequuntur ex his ſaepe febres, inſomnia, deliria, ſpaſmi, convulſiones, ſyncope, nauſea & vomitus, ſuppuratio bona vel mala, unguis delapſus, imo plana deſtructio, ut non recreſcat atque ſaepe ultima phalanx funditus perdatur, caries, oſſium in gelatina reſolutio, tendinum eroſio ac putrefactio, gangraena & ſphacelus ſubinde, imo mors ipſa. Fit aliquando, quod horum nihil conſpiciatur ac morbus ſit leviſſimus. Poſt curationem tandem unius vel alterius digitorum articuli remanet rigiditas ſubinde.

(*Symptomatum explicatio.*) Neceſſaria de ſymptomatum hoc morbo occurrentium explicatione allegare, hujus loci opportunum exiſtimo, quaej nunc aggredior. Dolor praecertiſſimum hoc in morbo exhibens ſymptoma, duobus ex fontibus ſcaturire videtur. Primo loco, vel ex- vel interno digito allato irritamento, aegro in initio in digiti aliqua parte efficiente dolorem. Nullum enim mihi innoteſcit exemplum panaritii conſenſualis. Ergo e re eſt, topicam irritationem ad dolorem provocandum, ſemper eſſe neceſſariam. Aliae enim dolorem efficientes cauſae, ut repletio, exinanitio, vel nimia irritabilitas morbum periculoſiorem quidem procreare, nunquam autem panaritium edere valent.

Affligit irritamentum, ut ſupra denotavimus, non mediocri quantitate in digitis ſparſos nervos, atque ex eorum irritatione dolor, ut primum ſymptoma quo aeger corripiatur, originem trahit. Boerhavius ad morbos nervorum inde numeravit hunc morbum. r) Raro dolor extra part s irritatae fines vagabitur, niſi irritamentum magnopere ſit acerbum vel nobiliores digiti partes affecerit. Nunquam autem, ut in prima doloris invaſione fuit dolor, permanebit, ſemper aliquo modo exaggerationem patietur aegrotans. Per experientiam probata exſtant axiomata varia; primo ſcilicet, quod irritatio

r) l. c. p. 238.

ritatio attrahat, deinde quod dolor per longum temporis ſpatium perdurans, pariat inflammationem, atque poſtea quo magis pars languens ſenſibilitate nervisque ſit impertita, eo vehementior ſit inflammatio. Nonne plane haec cum morbo noſtro cohaerent? Sanguinis igitur in partem laeſam fit impulſus major, manum & digitum conſtituentes tenaces & antea ad nutritionem neceſſariam tantum ſanguinis quantitatem complectentes partes & nervi, nec non per irritamentum irritata, nunc praeter naturam conſtricta vaſa, omnia haec reſiſtentiam atque impedimentum afferunt, quo minus extendi, affluxuique ſanguinis aucto locum cedere queant. Quod per autores quoque corroborare poſſum; ſic legimus apud Cel. DE HAEN dicentem: *in omni loco ubi poteſt inflammata pars tumere, minus dolet.* s) Et DIONIS expreſſis verbis aſſeverat: *Le panaris eſt le plus douloreux apoſteme, parce que l'extrémité des doigts ne peut pas s'etendre, autant qu'il faudroit.* t) Dolor inde ortus, omnesque vicinos nervos in conſociationem trahens, acutiſſimus evadet, unde ejus expanſio in confeſſo eſſe videtur. Ecce nunc doloris ejusque tramitis ſecundam originem. Ad inflammationem quod ſpectat, iisdem ex cauſis proximis ſive fontibus, ut dolor, proſilire videtur.

Irri-

s) l. c. p. 211.

t) Cours d'operations de chirurg. p. Mſr. de la Faye p. 723.

Irritatio attrahit, ergo ex irritatione humorum auctior affluxus, atque ex languentis partis resistentia sanguinis transitus cohibetur, quem inflammatio inevitabilis consequi debeat. Propter hanc nimiam resistentiam, ut gangrænam pariat inflammatio, sæpe ad illum gradum adscendit. u) Dolorem porro edere inflammationem per observationes compertum habemus, quo magis locus abundat nervis, eo pejor erit dolor, ergo etiam inflammatio. Mihi est proximus HILDANVS verbis exponens: *ex doloris vehementia cito concurrunt humores, qui inflammationem & tumorem excitant, tota manus inflatur subinde, propter doloris vehementiam.* x) Dolor ergo phlogosin, atque inflammatio iterum dolorem progenerat. Nunc autem recentiorum egregia explicatione, inflammationis natura, humorum præternaturalem affluxum, vasorum ex irritatione factam constrictionem complectitur; digitorum structura singularis, sanguini affluenti impedimentum transitus opponens, ruborem atque tensionis sensum manifesto declarant. Porro inflammationis naturam in parte ægra humorum motus auctus constituit. Conamen naturæ ad resistentiam superandam eo illucescere videtur, indeque pulsationis sensatio certissime petit ortum. Tumorem, ex sanguinis confluxu

u) Ill. RICHTER praeceptor summe venerandus, Wundarzneykunst, 1 Band p. 70.
x) Observat. & curat, chirurg. Centur. I. Obs. 97.

confluxu indeque orta distentione vasorum ac repletione oboriri, asserere ausim. Cui etiam tam rubrorum, quam lymphaticorum vasorum atque nervorum conspirationi haud immerito tumoris expansionem adscribere licet. In brachio ubique sparsa magisque sanguine repleta nempe vasa, tumorem prolixius dispergere posse, quis est, qui negabit? Nervorum memorabilis consensus eo modo dolorem, ultra digitum ægrum propagare videtur. Febres ex dolore & per illum concitata nervosi systematis irritatione concussioneque initium ducunt. Plexus scilicet brachiales nervis brachii originem suppeditantes, immediate ex medulla spinali maximam cum cerebro aliisque corporis humani nervis conspirationem habente, prodeunt. Quis est, qui nunc inficiari tentabit, mirabilem illum consensum febri aliisque symptomatibus justam præbere posse ansam? vehemens systematis nervosi concussio ad cor propagatur, spasticam in eo commovet contractionem, ut circulatio velocior evadat, febrisque pariatur. Haud ægre enucleandum nobis nunc erit, unde syncope, convulsiones, nausea, vomitus, delirium ac insomnia sumant fontem primitivum. Systema nervosum per irritationem, inflammationem, subinde per animi affectus quoque agitatum, nunquam absque noxa has impressiones ferre solet, quod omnes tam vitales quam animales atque naturales functiones præter modum his non affligerentur. Probationis

 ratione

ratione huc pertinentia axiomata referri merentur; quod dolor videlicet febrem convulſionesque edere valeat, nec raro enervationem, quæ ſpaſticæ lipothymiæ originem declarat: Suppurationis bona vel mala conditio a morbi ſede, corporis conſtitutione, cauſa morbi atque curatione communiter pendere conſuevit. Puris mala ratio vel in parte affecta diu retentione protracta, vel in corpore ipſo orta, corroſioni partiumque deſtructioni, & unguis delapſui præbet fomitem ſufficientem, unde phalangæ caries quin & detrimentum e re eſt. Gangraenæ ſphacelique cauſa proxima alium conſiderationis commodiorem locum occupabit. Quibus ex cauſis enaſcatur rigiditas, alio loco uberius mihi erit ſermo. Ad oſſium in gelatinam converſionem denique quod attingit, acrimoniam quandam corpori inquilinam, quæcunque erit, & vi oſſis partes terreſtres ſolvente, præditam, jure accuſare molior.

CAP. IV.

De morbi in ſtadia & ſpecies diviſione.

Morbi decurſum paululum accuratius perluſtrans & perpendens, morbum non ſemper ſibi ſimilem eſſe, variaque inde morbi tempora nec non ſpecies jure ſtabiliri poſſe, quisque haud ægre animo complectetur. Medici morborum internorum decurſum, ut habeant vias ad quas judicium in indicationum formatione dirigere

rigere poſſint, varia in ſtadia ſeparant, ita et rationali chirurgo tale ornamento erit negotium, ſibi curationis viam comparare atque munire.

Quatuor in ſtadia ſive tempora commode morbum noſtrum dividi poſſe, credo.

1) *Stadium irritationis ſive initii.*

2) *Stadium inflammationis.*

3) *Stadium ſuppurationis.*

4) *Stadium gangrænæ & ſphaceli.*

Inter titivilitia hanc diviſionem recipi non mereri, ex rationibus & auctoritate comprobabo. AËTIUS panaritium am in incipiens, inflammatum, ſuppuratum & exulceratum diſcernit. y) Sic AVICENNA aliique. Cujuslibet ſtadii exiſtentiam ut probem, ejusque ſigna enarrem, operam nunc infigam.

I. (*Stadium irritationis*) *Stadium irritationis ſ. initii ſ. primæ invaſionis*, ut appellare jubet, ſolum noſcitur ex dolore in aliqua digiti parte urgente. Unicum hoc in ſtadio urgens eſt ſymptoma atque irritamenti externi vel interni prima & neceſſaria ſequela. Probant quoque varii autores. Sic FABRIC. *ab* AQUAPENDENTE ait: *vitium hoc inter initia, cum ſcilicet incipit digitus dolere, hoc eſt, in prima doloris invaſione, neque adhuc in digito tumor ullus aut rubor apparet.* z) GLANDORPIUS expreſſis verbis affert; *incipientis*

y) l. c. cap. 75.
z) l. c. cap. 103.

incipientis affectus signa sunt dolor circa digitorum extremitates, exiguus, levis, tolerabilis. a) Et alio loco; *in primis diebus dolor exiguus percipitur, inde fit, ut Chirurgus non in auxilium vocetur.* b) WEDEL his verbis notat: *imminentem infaustum hospitem denotat dolor exiguus, levis, & adhuc tolerabilis.* c) BARBETTE dixit: *dolor vehementissime ægrum torquere solet, ut neque nocte neque die somnum capere possit. Huic accedit inflammatio &c.* d) Alias adhuc rationes in medium proferre necesse est. Inflammatio semper dolorem insequitur, teste etiam experientia & observatione omnia phlogoseos signa in morbi principio absunt. Primo irritamentum omni tempore sensiles nervos commoveat, priusquam oboriatur inflammatio atque humorum affluxus nanciscatur. Causa semper præcedat effectum, harumque partium firma conformatio earum distentionem atque inflammationem omnino in morbi initio cohibet. Remedia tandem illa empirica, quorum non exiguum habemus numerum, quorum alia revera progignunt phlogosin v. g. ungnt. neapolitan. & theriaca aliaque irritantia, imo theriaca ipsa in sphacelo ad inflammationem provocandum adhibetur; quomodo nunc panaritium ad sanationem perducere valeant hæc remedia, nisi ab inflammatione diversum existeret

a) l. c. cap. 10. pag. 20.
b) l. c. cap. 7. pag. 14.
c) l. c. pag. 13.
d) Chirurgia pag. 3.

ret ſtadium? Sufficient hæc, ut credo, ad meam ſententiam probandam, atque ad ſtadii ſecundi contemplationem progrediar.

II. *Stadium inflammationis.* Non multo poſt, ut ſupra denotavimus, ex dolore conſequitur inflammatio, quod teſtatur HILDANUS, dicens: *Statim in initio fiat inciſio, alioquin ex doloris vehementia cito concurrunt humores, qui inflammationem & tumorem excitant. &c.* e)

Symptomata diagnoſin præſtantia in phlogoſi, in duos gradus ſecernere cogor.

1) In primo leviſſimo autem gradu generalia inflammationis ſymptomata occurrere tantum conſueverunt; tumor nempe, rubor, partis ægræ calor atque dolor. Rariſſime hæc ultra digiti affecti fines transgredi obſervantur. Raro tenſionis & pulſationis ſenſatio vera ægrum urgebit, niſi in exercitatis ex craſſa, denſa extenſioni impedimentum afferente epidermide.

2) Secundo in gradu dolores atrociores imo atrociſſimi evadunt, non raro per totius brachii ambitum ad axillas usque pertenduntur. Tumor ruborque aliquando, fere plane non digitum corripiunt, ſubinde autem maximus, ita ut totam manum brachiumque inflatum deprehendamus. In vehementiſſimo gradu vaſa lymphatica dolere ac intumeſcere incipiunt per totius brachii longitudinem. Notata haec ſymptoma-

e) l. c.

ta ſtatum corporis integrum in febres, convulſiones, liphothymiam, inſomniam atque diliria commutare conantur.

III. *Stadium ſuppurationis.* Stadium tertium duo iterum alia complectitur, *incipientis* nempe atque *confectæ purulentiæ.*

1) Incipientem puris collectionem noſcimus ex dolore omnibus pharmaceuticis aliisque auxiliis convenientibus obſtinate repugnante, & continuo ingraveſcente quod etiam aſſeverat HIPPOCRATES inquiens: *dum pus conficitur, dolores & febres accidunt magis, quam jam confecto.* f) Porro incipiens perſpicitur ſuppuratio ex inflammatione in omnia remedia cornua vertente, & tumore duro volumine increſcente.

2) Confectam purulentiam ex vehementiſſimo pulſante atque derepente remittente dolore, ex febre evacuatione critica experte, ſi adfuerit, ægrotantem fugiente. Porro ex horripilatione turbatur æger; in ægra parte ponderis, frigoris & obſcuri doloris ſenſus percipi ſolet. In media tandem inflammationis parte nec raro fluctuationem, atque oculorum conſpectui ſub cute puris ſubjectam collectionem obſervamus.

Ad cariem, tendinum eroſionem, & in eorum vagina ſuppurationem natam in hoc ſtadio occurrentia eorumque ſigna quod attinet, poſtea prolixius verba mihi ſunt facienda. Alium hunc locum

f) Aphor. Sect. 2. Aphor. 47.

locum, pro horum ſymptomatum contemplatione, commodiorem exiſtimo, propter horum affectuum, clauſa cute, propriorum ſignorum abſentiam, quæ igitur poſt operationem, vel cutis ſpontaneam rupturam primo in conſpectum veniunt; porro propter eorum non ſemper occurrentem præſentiam. Hoc ſtadium enim non ſemper comitantur.

IV. *Stadium gangrenæ & ſphaceli.* Quarti ſtadii gangrænæ & ſphaceli nempe, hujus loci mentionem facere non incongruum credidi. Huic morbo familiare eſſe non ſolet, ſed ne amitterem aliquid quod huic morbo fortuito quoque occurrere ſoleat, id ſtadium hic tractare mihi eſt conſilium. Signa Chirurgo artis perito ſatis nota ſupponam, ut vix de his allegare aliqua mihi ſit permiſſum. Integritatis gratia ecce neceſſaria. Partem ægram omni calore atque ſenſatione deſtitui obſervamus. Color antea ruber in fuſcum ac cœruleum abit, ſolida molleſcunt atque non mediocrem fœtorem ſpargere incipiunt. Omnia hæcce ſtadia, ut poſtea monſtrandum mihi erit, ad rectam indicationem, & medendi methodum ſtabiliendam cynoſuram mihi præbebunt.

Dum ſpecierum conſiderationem callere nunc mihi eſt animus, harum campum ab antiquiſſimis temporibus non ſatis exaratum invenio & *confuſe*, ut cum Cl. CAMPER loquar, *recentiores*

res id vitium tractant, dividentes in plures species morbum, qui natura sua simplicissimus est. g) Veteres fere omnes de divisione in species nullam fecerunt mentionem. CELSVS h), AËTIVS i) aliique de panaritio circa unguem solum hærente locuti sunt, quod de tota extremitate, se dixisse credit GLANDORP. Panaritium non semper habere eandem similitudinem, quis est qui non intelligit, si morbi decursum consideret? aliquando morbus est levissimus, alio tempore periclitatur, imo de vita periclitatur æger. Porro non unam eandemque partem panaritio semper affici, observamus, & eandem medendi rationem non semper sufficere. Morbi in species divisionem igitur præbendam non absonum esse, ex his lucide conspicitur. Ad nauseam usque autem morbus hic passus est divisiones, ita ut hodie non exiguus exstet specierum numerus, Chirurgo practico mentem in diagnosi morbi & curatione omnino perplexam reddens. GLANDORPIVS duas in medium profert species, in superficie ad radicem unguis, vel digiti extremitatem, atque alteram sub periostio, quæ ad nervosas, tendinosas & cutaneas partes extenditur. k) WIESEMANNO *in benignum & malignum* separare lubet panaritium. l) Benignum illud

g) l. c. pag. 6.
h) Lib. de medicina Lib. 6. cap. 19.
i) l. c.
k) l. c. cap. 12.
l) Eight chirurgical treatises Tom. I, pag. 90.

illud vocat, quod in cute hæret, & malignum, quod tendinum vaginam & perioſtium occupat. Ego cum eo non ſentio; illud enim, quod benignum appellavit, ex perverſa curatione vel mala corporis conſtitutione in gangrænam tranſire poteſt, quod ſatis tunc malignum occurrit. Malignum per ſe non eſt malignum, ſed ex inepta medendi ratione, vel ægrotantis negligentia, vel malo corporis ſtatu in malignum degenerat. Nunquam autem in malignitatem vertetur, ſi tempeſtiva & integra medendi methodus ei opponatur. Ad morborum malignitatem corporis habitus non mediocres affert ſuppetias. Sic in cacochymico corpore, fere nihili momenti læſio externa, malignitatem aſſumere poteſt, ubi e contrario in integro morbus erit leviſſimus. Tandem hæc diviſio a morbo ſibi relicto vel neglecto eſt deſumta. Ob ſimplicitatem autem aliorum diviſionibus præferri meretur. BOERHAVIUS ſeptem panaritii ſpecies nobis reliquit. m) Cl. DE HAEN decem ſpecierum catalogum ſcriptis mandavit. n) Qualem confuſionem in diagnoſi & hujus morbi curatione, ſupervacua hæc diviſio in Chirurgi animo producat! Omnium quidem ſpecierum ſigna annotare conatur Cl. DE HAEN, multæ autem harum ſpecierum ſymptomata ſibi habent analoga. Si autem plures ſpecies ſimul intercurrunt, quid tunc agendum?

Fac

m) l. c. p. 243.
n) l. c.

Fac fieri poſſe, quod Chirurgus quamlibet ſpeciem cognoſcat, qualem indicationem practicam inde traheret? ut ego credo, nullam. Quid ei ergo proficeret ampla hæc diviſio? Recentioribus hodie, in quatuor ſpecies, ſtabilita diviſio, ſedem morbi in cute, in vagina tendinum in perioſtio & ſub ungue complectitur. PLATTNER. o) GARENGEOT. p) LE DRAN. q) PLENK. r) aliique hanc diviſionem nutriunt. Hic morbus frequentiſſimus indeque obſervationi cauſam præbens optimam, tamen inter autores huc usque in medium de hoc morbo prolatos ſcripta, ratione naturæ & ſedis non conſtituunt ideam diſtinctam atque diviſionem. Fere omnes in accurata diviſione & ſpecierum diſtinctione, porro in ſymptomatibus quæ cuilibet ſpeciei propria allegant, non conveniunt. Sic v. g. tendineo panaritio attribuit tumorem PLATTNER s) quem plerumque adeſſe ſubinde etiam abeſſe affirmat GARENGEOT t) In perioſtiali PLENCKIUS inflammationem ad humerum usque propagari, manum imo brachium intumeſcere, gangrænam & glandularum axillarium inflationem ſequi annotavit. u) SAGAR iterum in hac ſpecie ſymptomata

o) Inſtitut. chirurgiæ edit. a Krauſe pag. 58.
p) Traité des operations de chirurgie Tom. 3. pag. 300.
q) Operations de chirurgie pag. 42.
r) Syſtema tumorum, pag. 65.
s) l. c.
t) l. c. pag. 286. u) l. c. pag. 57.

-nata non in brachium ſeſe extendere aſſeverat; x) & ſic porro. Ampliorem contradictionum farraginem lectori adhuc tradere poſſem, niſi ejus animum accendere timerem. Ex his in confeſſo eiſe videbis, autores ſpecierum ſigna perpetuo confundere, & in diagnoſi ac cura Chirurgum, quamnam habeat ſpeciem ad tractandam, ſæpe angore æſtuari debere. Me non in tenebris verſari credo, ſi contendam, quod variæ hæ falſæ diſtinctiones ac ſymptomatum contradictiones, ex ſpecierum complicatione vel colliſione ſint ortæ. Nunc ad meam, & ut mihi videtur, neceſſariam practicam diviſionem me convertam. Divido igitur panaritium.

I. Ratione loci quem occupat.

a) In *palmare*, quod digiti palmam afficiat.

b) In *dorſale*, quia digiti ſuperficiem dorſalem occupare ſoleat. Sive *unguiculare*, quia circa unguem obſideat. Haec ſpecies jure παρωνυχια vocari meretur, quam Galli *Mal d'avanture ſ. Tourniole* vocari conſueverunt. y) Alii *Uponychiam ſ. Hyponychiam* appellarunt.

II. Ratione ſedis ubi hæret panaritium tam palmare quam dorſale iterum ſejungere cogor.

a) In *profundum.*

b) In *ſuperficiale.*

Hæc

x) Syſtema morbor. ſympt. Pars I. pag. 56.
y) GARENGEOT l. c. pag. 286.

Hæc diviſio WEDELIO originem debere videtur z).

III. Ratione diuturnitatis ſejungo.

a) In *acutum.*

b) In *chronicum.*

Nunc de quavis ſpecie, ratione diagnoſeos ſpeciatim differam; quaelibet enim ſpecies propria ſua habet ſymptomata, quibus ab aliis ſpeciebus diſtinguere valemus.

Ad primam ſpeciem quod attinet, aquam cribro haurire viderem, ſi operam ad ſigna impenderem enucleanda. Ad ſecundam autem diviſionem eo melius intelligendam hanc præmittere, non inutile eſſe exiſtimavi.

(Superficiale palmare panaritium.) Superficialem palmarem ſpeciem illam voco, quæ ſuperficiales palmæ digiti partes ſ. cutaneas & organon tactus aggredi conſuevit. Eſt vera inflammatio aliis in partibus ſimili modo apparens, ergo cum illi phaenomenorum perpetuorum ratione conveniat. Incipit cum dolore ſenſim ſenſimque ingraveſcente, aliis partibus graviore, quem inſequitur tumor, rubor atque calor. Aliquando pulſationis ac tenſionis ſenſu aliquo conqueritur æger. Faciliime in ſuppurationem tranſitum experitur haec ſpecies. Rariſſime ſupra locum affectum expanditur, ſed corporis habitus

z) l. c. pag. 12.

bitus ejusque mollities atque irritamenti vehementia fines terminosque conſtituent tumori atque inflammationi. Signa inflammationis autem notata hanc ſpeciem formantia & perpetua ſunt. Specierum ſymptomata ab inflammationis ſtadio deſcribere inchoare cogor. in irritationis ſtadio enim, omnes ſeſe attingunt ſpecies, unde vix eſt enucleandum quam partem præcipue occupet dolor.

(*Palmare profundum panaritium.*) Palmaris profunda ſpecies, mea ſententia, illa appellari meretur, quæ ſub panniculo adipoſo locatas partes affligere ſolet. In unam ſpeciem igitur colligo, quam alii in *vaginalem* & *perioſtialem* diſcernere conati ſunt. Cur hanc diviſionem non foveam, rationibus nunc evinciam. Autorum præter diſſenſum quem ſupra jam notaverim aliæ dantur adhuc rationes. Si perioſtialis atque vaginalis, conciliatæ ægrum corripiunt, ut ſpecies nunc diſtinguat, nonne anguſtiis premeretur Chirurgus? Alio tempore autem, quando cum ſuperficiali complicata occurrit profunda, ex ſignis, quibus poſtea ſermonem faciam, experte difficultate illuceſcet differentia, Ipſe caſum quo perioſtialis vaginalis cum ſuperficiali complicatæ apparebant, me vidiſſe commemoro. Et ut brevibus dicam verbis, tam in vaginali quam perioſtiali una eademque. ut poſtea monſtrabo, medendi ratio eſt neceſſaria. Ergo ſtadium inflammationis nullam ad has ſpecies exhibet differentiam practicam. In ſtadio ſuppurationis in quo caries & ſinus purulentia repleti aliquando

quando in conſpectum venire ſolent, tunc diviſio hæc nihil ad nos, poſt cutis apertionem primum in conſpectum veniunt, & proprii ſunt morbi, propriam igitur curationem poſtulant. Tandem quod perioſtium ex cauſa externa ſolum affici poſſe, vix credibile eſt; de cauſa interna hoc fieri poſſe, ſi concedere vellem, nunquam proximæ partes inflammatione illæſæ evadent; hæc enim experientia teſte loco irritationis fere nunquam terminatur, ſed modo non ſemper in totius, ab irritamento occupantis loci, ambitum expandetur. Modo non pendet mihi animus, quod vera perioſtialis exiſtat. Cur non in chronica ſpecie oboriantur hæc ſymptomata? ubi os ſolvitur & procul dubio perioſtium læditur. Phyſiologi etiam ratione ſenſibilitatis perioſtii, operi nondum impoſuerunt ſupremam manum. Num perioſtium ita nervis abundet, ut ex ejus læſione dira ſymptomata oboriantur, abunde nondum exaratum eſt. Inciſionem ad os usque protractam malum leniiſſe, omnibus his rationibus dubium non imponit. Forſam ligamenta oſſa combinantia ſæpe inflammatione correpta fuerunt, quorum inciſio per ſanguinis profluvium & relaxationem inde factam, ſedavit dolores. Inciſio ad digiti latera ab autoribus laudata eundem præſtat effectum; notum enim, quod & ligamenta digitorum latera præcipue obſideant. Quo vehementior nunc eſt irritatio, eo magis humorum affluxus excitabitur, eoque vehementiora fient ſymptomata. Omnia hæc qui mecum conſideraverit, mecum quoque ſentiet, ſpecies has anxie petere non neceſſe eſſe. Nunc ſymptomata hanc ſpeciem

ciem denotantia indicabo. Dolor hac in ſpecie eſt acutiſſimus. WEDELIUS ait: *profunda nervos, tendines, oſſa &c. immaniſſimis cruciatibus ac doloribus premit.* a) Dolor hic, priori ſpecie, vehementius creſcit, ad condylum humeri internum, quin & ad axillas usque ſæpe penetrat. ægro omnem eripit ſomnum, febrem, delirium atque convulſiones progenerat ſubinde. ita ut vitæ quandoque ſentiant ægri periculum. Cl. DE HAEN exempla inſecutæ phrenitidis & mortis intra triduum ſe vidiſſe aſſeverat. b) Pulſationis profundæ atque magnæ tenſionis ſenſu cruciatur ægrotans. In morbi initio locus nec tumet nec rubet ac cutis colorem haud excedit; in progreſſu autem tumor aliquando exſurgit qui manum occupat, quin & in brachium ſæpe agit radices, ac ſummum minatur periculum. GARENGEOTIVS in articulationum intervallis parvum tumorem initium ſumere obſervavit. c) Glandulæ axillares cum brachii vaſis lymphaticis tumere & dolere obſervata ſunt. Ecce ſecundi ſtadii ſigna. In ſuppurationis ſtadio, niſi tempeſtive opem tuleris caries, tendinum corruptio & deſtructio nec raro purulentiæ in vaginam adſcenſus, proximarumque partium reſolutio inſequi conſueverunt. Ceterum hæc ſpecies, priori, ægrius in ſuppurationem inflammationis tranſitum admittit. Huic ſpeciei, priori, familiarior eſt, aliquando ſuperveniens gangrænæ & ſphacelus.

Super-

a) l. c. pag. 12.   b) l. c.
c) l. c. pag. 301.

(*Superficiale dorſale Panaritium.*) Superficialis dorſalis ſ. unguicularis ſub cute unguis ambitum contingens ſpecies, ex veræ inflammationis ſignis manifeſtatur; præcipue ſerto non abſimili tumor unguis circumferentiam ſubinde ſtipare in morem habet. Præter dolorem vehementem in mollioribus rariſſime progignit periculoſa ſymptomata. Reſolutioni ut plurimum impedimentum afferre, & cum unguis delapſu in ſuppurationem tranſire conſuevit.

(*Dorſale profundum panaritium.*) Unguicularis ſ. dorſalis ſpecies profunda ſub unguis radice vel corpore verſari animadvertitur, atque ex cauſa prægreſſa, ex vehementi ſub ungue urgente, continuo ingraveſcente, ſymptomataque febrilia &c. excitante dolore cognoſcitur; & ut paucis dicam; omnia illa in profunda palmari ſpecie notata phænomena huic ſpeciei ad de repere in morem habent; nec tumor nec rubor obſervatur &c.

(*Acutum panaritium.*) Acutam ſpeciem ob ejus brevitatem & cum illa ſociatum periculum ſtatuere neceſſarie habui, atque talem hucusque deſcriptam. invenies.

(*Chronicum panaritium.*) Chronica ſpecies illam appellare opus eſt, in qua brevitas & periculum abſunt, atque per longum temporis ſpatium ſaevire conſuevit. Talem ex accurata obſervatione tractam primo nobis præbuit Cel. Acrel, quam *aridum panaritium* appellavit & ſequentia habere ſigna teſtatur. d) In digitorum phalange extrema æger corripitur dolore aliquando remittente, inter-

d) l. c.

interdum iterum increſcente, eumque per plures annos cruciante. Rariſſime, niſi poſt longum annorum intervallum tumor frigidus exiſtit. Phalangis ipſius os in carnoſam, glutinoſam vel adipoſam ut plurimum reſolvitur ſubſtantiam.

CAP. V.

De ſymptomatum ſpecies contingentium explicatione.

Non exſpectes ut illorum ſupra jam generaliter exhibitorum ſymptomatum interpretationem afferam, de præcipuis ſingularibus verba facere mihi tantum eſt animus.

In ſpecie palmari ſuperficiali, cur inflammatio hac in parte aliis graviores generet dolores, tribus ex fontibus hauriri poſſe videtur. Primo ex epidermide dura, denſa in exercitatis apparente, & digiti palmæ contra injurias externas parmula quaſi inſerviente, atque humorum confluxui aucto reſiſtentiam afferente. Deinde ex nervorum affectu; docet enim anatomica digitorum fabrica, eorum apices præ aliis partibus nervis ornatas eſſe, ergo eorum irritatio ac diſtentio ex inflammatione non mediocres procreare debeat dolores, præſertim in delicatulis. Poſtea ſupra jam notatum ligamentum cutaneum influxui humorum reſiſtentiæ anſam aliquam præbens, papillarum nervearum majorem efficit tenſionem per ejus diſtentionem, atque per nervorum conſpirationem graviſſimus dolor ſubinde evadit. Duo hæc momenta ſemper conſiderationem movent, primum autem quando-

que accedit, atque irritatio ac inflammatio justo graviores urgent, ita ut pulsationis atque tensionis sensu coarctari possit ægrotus. Nunquam, autem ut in aliis speciebus, scaturiunt symptomata ita gravia. Advolantibus humoribus obstaculo quidem sunt partes, aliquo modo iis tamen locum cedere valent. Rubor hic conspicuus ex plurium vasorum, antea sanguinem non continentium, repletione, aliquando etiam sanguinis extravasatione originem trahere verisimile est. Extravasatio forsan effecit maculas, quas vidisse asseverat HILDANUS. e) Puris rudimentorum abundantia facillimae suppurationis fortasse præstat causam. Evidente observatione loci pinguedine exuberantes, puri non exiguum exhibent nutrimentum; digitos autem circumstipans cutis cellulis, tenace sebum continentibus repleta est. unde puris haud ægra confectio facile explicationem admittit.

Profunda species gravioribus symptomatibus amplectitur. Dolorem primo attentionis nostræ dignum & præcedenti specie atrociorem, sequenti modo existere, crescere, ascendere aliaque symptomata proferre, judico: originem acutissimi doloris, nervulis illis ex mediano progredientibus, & ligamentis vaginalibus, annulosis articulationum & membranae tendinum communi tendinique ramos cedentibus, attribui posse, credo. Nervi ex irritatione phlogosique affecti, hi enim præprimis afficiuntur, & tendinosæ partes tenacissimæ nullum fere locum humoribus concurrentibus ceden-

tes

e) l. c.

tes, immanissimum declarant dolorem, exinde ejus incrementum in confesso quoque est. Expansio doloris nervi mediani & cubitalis cum aliis brachii anastomoses formantium conspirationi adscribi potest.

Denique experientiæ exemplo, omnes ligamentosæ tendinosæque partes, ex læsione nervi eas comitantis, & inflammatione correptæ vehementissime doloribus cruciant ægrotantem. Cur in morbi initio nec tumor nec rubor conspiciatur? paucis verbis dicam: in morbi exordio statim tumor exsurgere nequit, ob magnum quod contra sanguinem allabentem nitatur impedimentum; in consequentiam autem ligamentis vasis abundantibus itaque inflammationi ansam sufficientem præbentibus, atque pluribus phlogosi molesta correptis partibus, tumor magis conspicuus fiat, & cum superficiali specie concilietur hæc species. Tumoris in manum & brachium penetratio, ex digiti resistentia ejusque, omnem allabentem sanguinem recipiendi, exiguo volumine, ut mihi vero propius est, satius explanari potest. Vasa omnia in brachium se spargentia enim, sanguinis simul rarefacti nimietatem recipere coguntur, & brachii intumescentia atque inflammatio haud ægre insequi debet. Intervallorum digiti tumor a Garengeotio observatus, ex minori, articulis, in his existente resistentia gigni videtur, articuli enim abundantia ligamentorum gaudentes majus afferunt obstaculum. Rubor, hac in specie nullo alio modo, nisi in complicatione cum superficiali conspicuus, fieri potest. Glandularum axillarium vaso-

rumque lymphaticorum tumor ex majori in cellulosam exhalatione lymphæ ac resorptione scaturire videtur. Necesse enim, quo copiosior sit exhalatio, eo magis fiat resorptio, & vasa vi propria, ut lymphæ absorptæ nimietati opponere se possent, destituta, tumere debent. Difficilior puris in hac specie collectio, ex, in priori specie, allata ratione contraria, palam est. De gangræna & sphacelo superveniente alio loco sermonem præstabo.

Superficialis dorsalis, cur fere semper suppurationem pati debeat? non nihil ex sanguine inflammatorio stagnante, ex parte quoque ab effusione deduci posse videtur. Ceterum cum sub epidermide ut plurimum hæreat malum, dolores non existunt vehementissimi. Ligamentum laterale subtensum aliquando pro vera causa horum spectari meretur, unde enunciatur, quomodo HILDANUS tam felici cum successu instituere potuerit incisionem. f) In profunda dorsali specie symptomata, ut in profunda palmari, eadem gaudent origine. Papillæ nerveæ sub ungue sparsæ ac unguis ipsius resistentia, diris illis symptomatibus sufficiens præbent nutrimentum.

In chronica specie, dolor per longum temporis intervallum perseverans, inde ortum fortasse sumit, quod morbus sola ossa, qua partes

tes

f l. c.

tes, mollioribus, minori ſenſibilitate præditas, affligat. Cur autem remittat & de novo increſcat explicationi ſubmittere non audeo.

CAP. VI.

De cauſis praediſponentibus.

Omnis fere morbus ſuam habeat cauſam prædiſponentem ac occaſionalem, ergo etiam panaritium; cauſa occaſionalis enim prædiſponente experte nullum morbum procreare valet. Hujus loci primo de proegumenis varia adjicienda ſunt.

Aetas juvenilis, reliqua tamen non excluſa, imprimis hoc malo corripitur, magna ex parte propter majorem ad phlogoſin diſpoſitionem, partim ob vitam exercitatam & injurias externas, quibus hæc ætas vetuſtiori magis obnoxia eſt. Corpora plethorica integra, & cacochymica panaritio ſuppeditant proclivitatem. Talia ex leviſſima injuria externa læſa corpora, gravibus concutiuntur ſymptomatibus. An hæreditaria exiſtat prædiſpoſitio? An præternaturalis corporis ſenſibilitas prædiſpoſitionem exhibere queat?

Temperamentum calidum ſ. cholericum atqne ſanguineum ad hunc morbum propenſum eſt. Victus lautus, ob inflammatoriam quam generat diſpoſitionem. Vita ſedentaria atque exercitata. Prima malam corporis parit conſti-

 tutio-

tutionem, aliaque multas offensiones externas complectitur.

Ratione injuriarum externarum opera varia manuaria ad panaritium pronum faciunt. v. g. Lotrices, Nentes & Sartores sæpissime hunc morbum patiuntur.

CAP. VII.

De causis occasionalibus.

Ad causas occasionales s. procatarcticas quod contingit, in duas classes, in *externas* scilicet & *internas* dividere necesse est.

(*Causae occasionales externae.*) Ex calore & frigore, imprimis autem ab inæqualitate subitanea, ut quando ex aëre rigida membra statim foco calido admoveantur: vel vice versa calentia extrema aquæ frigidæ immergantur. Hocque comprobat effatum divini HIPPOCRATIS, *omnem nempe subitaneam mutationem esse periculosam.* Ideoque lotrices sæpissime hoc morbo corripiuntur. Occurrit inde frequentius in hyemali anni tempore. Vulnus punctura factum in digito, cum acuto instrumento e. g. cum acu, ideo sartores nentesque subinde hujus morbi molestiis premuntur. Festucæ ligni, ossium, vitri &c. digito intrusæ. Digitorum contusio & compressio. Morsus apum, relinquunt aculeum digito dolorem vehementem efficientem,

tem. Leve vulnus quodcunque. Acria externa. Combuſtio. FELIX PLATER obſervavit quod ancillæ, vaſa impura indies aqua ferruente eluere ſolentes, digitos frequenter exurant, adeo ut unguis illarum incurventur, indeque paronychiam ſibi comparent. g) GLANDORPIUS nentibus & digitos ſugentibus, manusque frequenter ſapone cui permiſſum oleum tartari, lavantibus, hunc morbum ſæpe occurere vidit. h) Furia infernalis malignam & vehementem excitat paronychiam. i)

(Cauſae occaſionales internae.) Cauſarum internarum occaſionalium exiſtentium comprobere videntur, quod panaritio languentes ſponte & ſucceſſive aliquando plurimis digitis afficiantur, quod porro epidemice graſſari obſervatum fuerit.

Cauſa epidemica igitur ad internas referri debet. Metaſtaſis materiæ cujusdam acrimonia præditæ. Quam ſententiam veteres, & recentiorum TOMLINSON k) aliique præcipue callere videntur. Infantibus hæc cauſa occurrit aliquando, in ſphacelum tranſit panaritium, decidunt digitorum apices, vel ſubſequentes phalanges, ſed in epiphyſibus. l) Ceterum rem indeciſam

relinquo

g) Tract. 2. de morbis cap. 17.
h) l. c. cap. 11. pag. 22.
i) SOLANDER l. c.
k) The medical miſcellany pag. 64.
l) CAMPER l. c. pag. 6.

relinquo quod verum panaritium detur metastaticum, omniaque a metastasi orta panaritia, quæ autores referunt, a causa interna pependisse, atque panaritium hujus causæ internæ effectum fuisse, credo. Metastasis enim verbum morbi in alium locum digressionem vel imperfectam crisin significat, & in hoc sensu, si res ita ferat, hujus loci metastasis explicari potest. Veram enim morbi cujusdam digressionem ad digitos propter densam eorum constructionem fieri posse, vix credo. Variolas, scorbutum, scrophulas, virus cancrosum inter causas internas adnotavit GARENGEOT. m) In puellis duodecim, quatuordecim annorum natis, quibus annis menses plerumque fluere incipiunt, hunc morbum oriri vidit VESTI. n) Aliæ adhuc causæ internæ v.g venereum miasma, exanthemata retropulsa, materia rheumatica, arthritica, quam in chronica specie pro causa vera propemodum accusare vellem, hoc malum creare posse, quis est qui negabit?

CAP. VIII.

De causa proxima.

Causam proximam cum Ill. GAUBIO illam vocari solemus, quæ ex remotarum nata, sola, integrum morbum constituit, ut in dissolubili nexu

m) l. c. pag. 291.
n) Differt. de paronychia. Erfordiae 1704.

nexu cum eo cohæreat. o) Inter autores propter panaritii causam immediatam non exiguus agitur dissensus. Veteres fere omnes causæ primoprimæ fontem in humorum massa scrutari conati sunt. Alii biliosum, vel melancholicum sanguinis statum, alii acrisalinam humorum conditionem, alii partium sulphurearum & biliosarum efferfescentiam, alii putrefactionem, alii inflammatorium sanguinis statum pro causa proxima accusant, et sic porro. Quænam indicatio practica inde est haurienda? ut is sanguis corruptus evacuetur? sed incisio non sufficiet, tali enim in prava humorum conditione solida procul dubio quoque affliguntur, de horum autem ratione nihil professi sunt. ALBINUS remis velisque in harum sententiarum refutatione fixit operas. p) Omnes autem has veterum opiniones plane ad incitas redigere velle, fas non esse, judico. Talem humorum conditionem pravam, occasionalem causam internam præstare posse, cui hoc negare in mentem veniet? certissime febrium modificationibus hoc morbo subinde occurrentibus rationem quoque habuerunt hi viri prisci egregii, atque humorum conditionem pro causa proxima quandoque æstimarunt. WEDELIUS humorum affluxum auctiórem pro causa proxima

o) Instit. patholog. pag. 26.
p) Dissert. de paronychia, Francofurti ad Viadrum 1694.

xima habet. q) HEISTERUS haerentem ſtagnantem & inſpiſſatum ſanguinem cauſam primoprimam conſtituere credit, & ex pulſu ac æſtu partis affectæ judicat. r) HILDANUS extravaſatum pro cauſa proxima habuit, & in ſtadio noſtro irritationis ad hoc expellendum jam commendavit inciſionem. s) Multi recentiorum hanc opinionem fovent, v. g. GARENGEOTIUS adeo in panaritii definitione ſua hanc ſententiam recepit. t) Autor operis cujusdam de tumoribus atque ulceribus tractans, dira illa ſymptomata ex lympha incluſa ortum trahere aſſeverat. u) Duas idem cauſas ſolum occaſionales externas & ſua opinione ſemper extravaſationem edentes ſtatuit, contuſionem ſcilicet & vulnus punctura factum. Ex his colligit quod effuſio cauſa ſit immediata; inflammatio autem aliaque ſymptomata qua effectus reſpicienda. Adverſus autem omnem experientiam ſentit autor, exſtant enim multæ cauſæ procatarcticæ aliæ, nullo modo effuſionem producentes, v. g. morſus apum, acria externa; *Plateri* obſervationes hujus loci ſunt. Nec minus autor vocat in controverſiam experientiam, ratum faciens, quod contuſio atque vulnus punctura factum nunquam non edat humoris cujusdam

q) l. c. pag. 8.
r) Inſtitut, chirurg. pag. 1143.
s) l. c.
t) l. c. pag. 283.
u) Traité des tumeurs & des ulceres Vol. 2. pag. 160.

dam effuſionem. Alii adhuc hujus cauſæ defenſores plures in medium proferre rationes moliuntur, affirmantes: perpetuo ex parte ægra inciſa, præternaturali colore humorem præditum promonare ſe obſervaſſe. Quibus rei conſultus GARENGEOTIUS reclamat, dicens: *promanat aliquando aqua clara parca quantitate, ſubinde vero plane nihil.* x) Negare non audeo, quod materia pravæ indolis quandoque effluere poſſit, ſed cauſa metaſtatica talem materiam præbebit, quæ vero in occaſionalium internarum cauſarum numero complectitur, & nullo modo ad cauſam proximam referri debet. Chirurgi cura in eo tunc conſiſtit, internam hanc cauſam indagationi curationique ſuæ quoque ſubmittere, ſola inciſio nunquam ſufficiet. Ceteris in caſibus fortuito accedit extravaſatio, ſi v. g. in contuſione vel ex atonia, vel vaſorum dilaceratione oritur effuſio, pro cauſa proxima hujus loci non habenda eſt, vaſorum autem atonia cauſam exhibet proximam, adſtringentia vaſorum tonum reſtituentia effuſionem hoc in morbo egregie diſcutient. Inflammatio quandoque efficit effuſionem ut egregie monuit Ill. RICHTER. y) Tempeſtivam inciſionem maximas afferre ſuppetias, & in phlogoſi ſola urgente hanc parum prodeſſe argumenti ratione admoliuntur extravaſationis defenſores. Sed GARENGEOTIUS jam affert contrarium, expreſſis verbis affirmans: *ſubinde plane nihil per inciſionem promanat, & tamen præſtat*

x) l. c. pag. 322.
y) l. c. pag. 7.

præſtat auxilium inciſio. z) HILDANUS in profunda ſpecie periculoſam eſſe inciſionem judicat; ſi igitur in omni ſpecie exiſteret effuſio, cur ibi non commendaverit ſectionem? alii e contrario quam maxime hic neceſſariam laudant operationem. Alium modum quo inciſio affert levamen, lectori indicabo. Supra ex anatomica fabricatione lucide patet, quod morbus tenaciſſimis & tendinoſis partibus inhæreat, teſtatur nunc aſſidua experientia, tendinoſas partes, ſi nervis in iis pungantur, & aliquo modo fibræ ſeparentur, graviſſime dolere inciſionesque non niſi levare. V. g. in vulneribus punctura factis, galeam capitis aponeuroticam afficientibus, vel in brachii venæſectione aponeuroſin bicipitis lædente, nullum aliud auxilium dolores inflammationemque mitigat, quam ſectio; & his affectibus dolor non fit graviſſimus, niſi inflammatio accedat. Supra in ſymptomatum explicatione monſtravi, quomodo inflammatio dira edere poſſit ſymptomata. Ergo in confeſſo eſt, quali modo inciſio agat; Duplici ſcilicet modo: primo loco, quod illas ſanguini influenti reſiſtentiam afferentes tendinoſas partes diſcindat, has itaque relaxet, ut locum cedere poſſint impulſu ſanguinis; nervi porro ubique ſparſi & tenſi dimittuntur, ut antea per tenſionem quam maxime irritati non amplius ſentiant irritamenti affectionem.

Secundo loco hæmorrhagiam creat inciſio, quam plurimi autorum provocare ſuadent, phlogoſin minuit, ac tali modo ægrum exonerat, nunc ad-

z) l. c. pag. 322.

ad- vel abſit effuſio, ſemper æger levabitur. Ergo tempeſtive adhibita inciſio nunquam eſt rejicienda, ſed commendanda. Tandem huic cauſæ proximæ fulcimen præſtandum magnopere cenſent autores, quod effuſio abſorberi non poſſit. Nonne vero ſæpiſſime reſolvitur panaritium, absque extravaſati emiſſione? & in tendinum vagina ſi rr egma articulare ſive ſynovia abundat, exhalatur, abſorbetur, nonne hoc extravaſatum quoque reſorberi deberet? in chronica illa ſpecie nulla adeſt effuſio, atque inciſio nullo modo ægrum levaret, ſed totius articuli amputatio neceſſaria eſt; extravaſato inciſio ſufficeret. Ex his nullum eſt certius indicium, humores ſoli nobis exhibere cauſam proximam, ſed ad ſolida quoque reſpicere neceſſe eſſe. Si in ſolidis & fluidis cauſam proximam indagare ſtudes, quodlibet ſtadium ac quamvis ſpeciem, ut poſtea prolixius monſtrare mihi eſt animus, propriam ſuam cauſam proximam habere, videbis. Quævis enim ſpecies, quodlibetque ſtadium nec in ſymptomatibus nec in medendi ratione, ut infra indicabo, plane conveniunt. Generalem inde conſtituere cauſam proximam in inertiis collocare, licitum mihi erit.

CAP. IX.

De prognoſi.

In ſtabilienda prognoſi quinque ad momenta reſpicere neceſſe judicavi, ad ſpeciem videlicet, ſtadium, phænomena externa, corporis conditionem & cauſam.

 (*Prog-*

(*Prognosis ratione speciei.*) Superficialis palmaris profunda, faciliorem admittit curationem, rarissime gravia observantur symptomata, remediaque locum affectum penetrare valent. Conciliatio hujus speciei cum profunda valdopere non est metuenda. Superficiali dorsali unguis casus & abscessio se comitem plerumque addere solet. Ceterum huic speciei nihil est periculi, & profundiorum est levissima. Profunda totius manus, quin brachii inflammationem atque tumorem creare potest. Huic speciei in tendinum vagina suppuratio, brachii abscessus, caries, gangræna & sphacelus, convulsiones, febres, deliria aliaque mala symptomata supervenire possunt. Profundæ palmaris cum superficiali complicatio quandoque occurrit. Acuta semper, chronica, plus minatur periculi.

(*Prognosis ratione stadii.*) Si causa nobis innotescit atque e medio non ægre tolli potest, in promittendo faciles esse possumus. In inflammationis stadio multo magis ægrotans periclitatur quin in profunda specie in capitis discrimine quandoque versetur. Pessima enim acuta symptomata plerumque se sistere solent. In superficiali suppurationis stadium raro periculosum, in profunda autem non mediocre affert periculum; tendinorum & membranarum corruptio, in manus vola puris accumulatio, & caries cum phalangis deperditione omnino verenda sunt. Gangrenæ & sphaceli stadium non sine vitæ discrimine aggreditur ægrotos, febris putrida, manus & digitorum corruptio, quin brachii infestatio formidandæ sunt.

Progno-

(*Prognoſis ratione phaenomenorum externorum.*) Quo major apparet tumor, eo facilius ſanatur morbus, quo minor autem, eo dolor magis intolerabilis. a) Quo dolor vehementior quo pejora eum perſequi poſſunt ſymptomata, v. g. febris, convulſiones, deliria &c. Panaritium cui gangræna & ſphacelus atque convulſiones ſuperveniunt, vitæ mutationem cum morte inferre valent. Pus in panaritio, quo diutius concluſum detinetur, eo ſeriora ſubſequuntur ſymptomata. b) Extremum digitorum articulum occupans panaritium, periculoſius eſt, quam quod ſecundum vel tertium invadit. c) Quo materia cuti eſt proximior, eo minor adeſt dolor, minusque minatur periculi. Quo autem profundius materia egit radices, eo ſæviores exiſtunt dolores, majusque eſt metuendum periculum. d)

(*Prognoſis ratione corporis conſtitutionis.*) In corpore plethorico athletico vehemens ſæpius eſſe ſolet, inflammatio enim oboritur vehementiſſima cum diris doloribus, & febres. In cacochymico magis obſcurat bonam prognoſin gangrænæ & ſphaceli, febris custom biliosæ & putridæ metus. Corpus molle, delicatulum, ſenſibile ſpaſticis ſymptomatibus pro nutrimento eſſe ſolet.

(*Prognoſis ratione cauſae.*) Quo cauſa vehementius afficit partem, quo difficilius ſubigi poteſt

a) Boerhave l. c. p. 239.
b) Glandorp l. c. cap. 14. pag. 29.
c) Idem l. c.
d) Idem l. c.

poteſt, eo pejor eſt prognoſis. In genere a cauſis externis ortum panaritium, illi a cauſa interna procreato prognoſeos ratione palmam præripit. Interna cauſa diagnoſeos ratione ingenii oculis inperſpicuum velum ſæpe ſuſpendit; & quod pejus eſt, ſi diſquiſitione accurata inſtituta innoteſcit, in curatione aquam ex pumice nos poſtulare ſive poſtulaſſe videmus. Pejorem adhuc præſtat prognoſin, cauſa interna plures digitos ſimul infeſtans & ſæpe rediens. In genere norma eſt practica maximi momenti, ut in panaritio Chirurgus ſemper indagationi ſubmittat, an cauſa interna adſit, ut peſſimis ſymptomatibus omnibus auxiliis chirurgicis obſtantibus, obviam ire poſſit. Cauſa externa ſola, raro periculoſa creat phænomena, cum interna vero congregata, peſſimæ prognoſi præbet anſam.

CAP. X.

De panaritii medendi ratione ſecundum ſpecies & ſtadia.

In genere Dionis omne panaritium quam citiſſime in ſuppurationem convertere, offert regulam, & remedia irritantia laudat e). Sed comprobata experientia ſuppuratio diriſſima ſubinde efficit mala, ergo ad reſolutionem, quantum fieri poteſt, omnia opera ſunt dirigenda. Quælibet ſpecies, cum propria ſua habeat ſymptomata, porro, cum una eademque ſpecies non omni tempore iisdem nobis appareat phænomenis, videbis, quamlibet

e) l. c.

libet ſpeciem cum ſuis ſtadiis, in curatione ſpeciatim conſiderare nos debere. Ideoque cum ſuperficiali palmari inchoabo.

Curatio ſuperficialis palmaris ſpeciei per omnia ſtadia.

I. Irritationis ſtadii cura. Tam ſpeciei quam ſtadiorum phænomenis ſupra ſermo mihi jam fuit, unde hujus loci de cauſa, indicationibus & remediis verba facere mihi tantum neceſſe ſit.

(*Indicantia.*) Cauſa proxima in ſolidis & in nervis quidem hæret, atque irritationem complectitur. Symptoma ingrata eſt ſenſatio quam *dolorem* appellamus. Ceterum habitus corporis conſiderandus eſt.

(*Indicationes.*) Indicationis cauſalis ratione, cauſam proximam, irritamentum nempe, ſi fieri poteſt exigamus. Ad indicationem palliativam confugere neceſſe eſt, ſi irritamentum exigi nequit, dolorem, quem ſemper placare opus eſt, ne inflammationem & vehementiora ſymptomata edat. Prophylactica indicatio hoc in ſtadio, ut ad habitum corporis reſpectum habeamus, requirit. Corpus robuſtum & plethoricum paululum debilitare, cacochymicum aliquantulum corrigere, & delicatulum minus ſenſile reddere debemus ut ſecundum ſtadium avertatur vel minus periculoſum reddatur.

(*Indicata externa.*) Si fieri poteſt cauſam occaſionalem ea ratione, ut poſtea indicandum mihi erit, auferamus. Ut mitigemus dolorem in-

flammationique præveniamus, remedia anodyna externa antifpasmodica in ufum vocemus. v. g. empl. theriacale fomentationes ac cataplafmata ex herba cicutæ, foliis hyofciami, florib. chamom. fambuc. femin. papav. contuf. aliisque. Cl. THEDENIUS totius manus ad cubitum usque, cum aqua fclopetaria conciliatam fafciarum applicationem laudat. f) Circa digitum affectum & foment. & catapl. fere fupra totam manum adhibere poffumus, ut nervorum anaftomofes etiam obtundantur, præfertim epidermide craffa denfaque præfente. Vena in corpore robufto plethorico modo prophylactico fecanda eft.

(*Indicata interna.*) Opii aliquot grana, vel fyrup. diacod. ad Unc. unam femis vel Maffam pilul. de cynogl. ad grana octo, vel Laudan. liquid. Sydenh. ad guttas XV. ante quietem nocturnam data, dolorem fedabunt, atque contra irritamentum nervos fenfus expertes efficient. Delicatulis, quibus fænius gravior eft. Dolor ejusque incrementum magis eft verendum, præcipue commendanda funt. Cocochymicis ut mea fert opinio purgans præfcribi poffet, partim ob primar. viar. qua ut plurimum laborant, impuritatem atque procul dubio caufam accefforiam exhibituram; partim ad inflammationem præcavendam, dum humorum affluxus magis ad inteftinorum fuperficiem fe vergere conatur atque materia corpus occupans morbofa non ad digitum adfcendit.

Indi-

f) Neue Bemerk. und Erfahrungen, I. Theil pag. 26.

(*Indicata diætetica.*) In genere ſcopo prophylactico diæta antiphlogiſtica commendanda eſt, aër nempe purus, cibus exilis vegetabilis, & potus copioſus aquoſus. Amplior ſit hæc diæta robuſtis, minor vero cacochymicis & delicatulis. Ut excretiones bene ſuccedant & animi affectibus abſtineat æger, videndum eſt. Motu corporis quoque non peccet homo. Certiſſime laudata omnia hæc auxilia refrenabunt ſtadium ſecundum. Hujus ſtadii recta curatio præſertiſſima eſt; hoſtem ipſo impetu proculcare ſtudeamus. Proh dolor autem rariſſime Chirurgus, fere nunquam obſervabit hoc ſtadium; ægrotantes quoque ob levem moleſtiam qua premuntur, amplam talem non admittent curationem. Quod autem de ſtadii irritationis cura in hac ſpecie dictum eſt, ad aliarum omnium reliquarum ſpecierum ſtadium initii extendi poteſt. Nunc ſtadium ſecundum, in quo frequentius Chirurgi auxilium implorare ſolent languentes, tractabo.

II. Curatio inflammationis ſtadii. Hujus ſpeciei inflammationis ſigna ſupra jam notata in memoriam tibi revocare velis, mihi tantum de ejus cura verba hic ſunt facienda.

(*Indicantia.*) Cauſa in ſolidis hærens proxima eſt irritatio nervorum & vaſorum oſcillatio ſpaſtica, in fluidis vero humorum ad digitos delapſus ac motus adauctus per digiti affectas partes. Phænomena externa ſunt dolor gravis, tumor, rubor, calor, tenſio quandoque accedens & febris urgens. De febre cum huic ſpeciei rariſſime, niſi in vehe-

mentissimo gradu occurrere soleat alio loco commodiori sermonem mihi facturus sim. Corporis conditio hoc in stadio, ut in praecedenti, inter indicantia quoque recipi meretur.

(*Indicationes.*) Respectu indicationis causalis, necesse est, ut si fieri potest irritamentum amoveamus. quod autem hoc in stadio rarissime patrari potest. Porro hunc motum humorum & influxum adauctum infringamus, vasorumque oscillationem compescamus. Palliative dolorem, irritationem, tumorem, ruborem, calorem, tensionis sensum & febrem leniamus. Scopo prohylactico, huic stadio diætam quadrantem præscribamus.

(*Indicata externa.*) Præstantissimum vasorum oscillationem, & humorum affluxum & motum supprimens remedium, sanguinis ex vena detractio præbet. Justa autem methodo ut hæc instituatur ad varias necessarias res videamus. Et primo ad *locum:* Veteres derivatoriam venæsectionem solum adhibuerunt, recentiorum autem experientia exemplo revulsoriam illæ palmam præripientem laudibus extollunt. Ideoque brachii affecti phlebotomia omnino aliis est præferenda. Porro in venæsectione attentionem figat Chirurgus in quantitatem. Hæc a corporis habitu & a phænomenis externis, dolore scilicet, tumore, rubore, calore & in parte ægra tensione atque ætate pendet. Corpus athleticum, ætas juvenilis, tumor magnus, dolor vehemens & tensio copiosam sanguinis extractionem necessariam reddunt, & vice versa in contrario statu. Ex his rebus ad sanguinis missionem repetitio-

petitionis neceſſitas haurienda eſt. Partis languentis ipſius phlebotomia in aliis inflammationibus laudibus extollitur. CELEB. SCHMUKER feliciſſimo cum ſucceſſu ad digiti apicem, quatuor hirudines appoſuit. g) Mihi vero una hirudo loco vehementiſſimi doloris & tres vel quatuor ad digitorum latera, quibus immediate ſub cute vaſa ſanguinem complectentia hærent, appoſitæ, egregium præſtarent effectum; vaſa ipſa tunc evacuantur & diutius ſtabit hæmorrhagia. In cacochymicis ac mollioribus, & niſi modum excedat inflammatio, topica hæc venæſectio ſufficiet. Ad ſanguinis impulſum præternaturalem infringendum veteres ſupra locum affectum applicarunt ſic dicta intercipientia, fortaſſe aliud, remedium mihi in mentem veniens non plane rejiciendum eſt. In amputatione in Aneurysmatis operatione, ut poſt operationem ſanguinis influxum inſiſtamus, Petiti torcularium apponere ſolemus. Nonne hoc in ſtadio, tali modo applicatum, ut ſanguinis impulſus minueretur, quoque proficeret? Exaltata brachii poſitio nec minus hunc impulſum minuit. Hæc auxilia cauſæ proximæ ratione non exiguas præbent ſuppetias, ad ſymptomata vero animum quoque intendere neceſſe eſt. Calorem, ruborem, atque tumorem nec non dolorem aliquantulum quidem mitigamus per venæ percuſſionem, ſed alia adhuc remedia poſtulant hæc ſymptomata. Quælibet partibus ſenſilibus & tenacibus hærens inflammatio emollientia relaxantia neceſſaria reddit.

g) Vermiſchte chir. Schrifften 1 Band. pag. 107.

dit. Ergo ob dolorem anodyna, & propter inflammationem & tensionis sensationem emollientia in usu nostro here opus est. AMBROS. PARAEUS ad dolores sedandos folia hyosciami, cicutæ & mandragoræ sub cineribus calidis cocta & oleo quodam, imponere jubet. h) Supra jam præscripta anodyna cum emollientibus vel forma catapl. vel foment. applicari possunt. V. g. ℞. Flor. cham., melilot., samb. aa. Mp. ij. Sem. lini, foenugræc. contus. aa. Unc. j. coque c. lacte s. q. ad catapl. formam D. S. circa digitum ægrum imponendum, & toties refriguit, renovandum. Vel ℞. Hb. cicut. Mp. ij. hyosc. Mp. j. Flor. samb. Mpiss. Sem. papav. Unc. j Farin. fabar. Unc. ij. coque c. lacte ℔v. Colat. c. expr. D. S. cum spleniis sæpe applicandum. Adjecto oleo lini & s. q. Lactis ad catapl. formam parari potest. PLENCKIUS digiti in balneo lactis saturnini immersionem suadet. i) Omnibus his remediis aliquot horarum spatio frusta adhibitis, certissime venæ incisio repetenda sit, si supra notatæ res eam admittunt. His omnibus justo adhibitis, nihilominus tamen si dolor tensioque ingravescunt, ad operationem antequam pus fit, confugiamus. Crassam epidermidem si adsit, & subcutaneum ligamentum, ut pars cedere possit, incidamus. Magnam ægro affert placationem hæc operatio, qua ad puris confectionem

h) Lib. 7. de morbis. cap. 19.
i) l. c. pag. 67.

nem usque adhuc deſtitueretur. Duo hæc operatio complectitur momenta, locum ſcilicet quo fiat operatio & methodum. Ad locum quod ſpectat, nunquam ut autores ſuadent, illam partem quæ primo doluit, vel hoc tempore præcipue dolore laborat, incidere commodum eſſe credo. Neceſſe enim eſt ut reſiſtentiam tenſionemque extinguamus. Longitudinalem ſectionem inde temporale ſolum afferre levamen, ſæpe obſervatur, adeo ut extendi ſubinde debeat inciſio. Fibræ autem hujus ligamenti transverſaliter findantur, & hac ratione ab apicis phalangæ uno latere ad alterum baſeos phalangis adſcendentem ſectionem commendarem. Nullo modo organi tactus exſtinctio verenda eſt ex hac diſſectione, nervuli enim a digiti latere adejus apicem adſcendunt. Ut inflammationem ſolvamus, ſanguinem hoc loco hærentem evacuemus. Nullo modo diſſectionem inſequens hæmorrhagia ſupprimenda, ſed intermiſſione apparente, per digiti in aquam calidam ſubmerſionem & frictionem lenem, potius provocanda eſt. Ceteram curam in ſuppurationis ſtadio indicabo. Remedia autem emollientia atque anodyna nondum rejicienda ſunt. Quandoque ob doloris metum ſectionem repudiant ægrotantes, Cl. Thedenii auxilium, quo in profunda ſpecie mentionem faciam, in uſum vocare poſſumus. Sin autem obſtinate repugnant ægroti inflammationis maturationem, præſertim ſi puris conficien-

tis

tis ſigna jam adeſſent, provocemus. Ideoque emollientia cum anodynis in uno tenore calide admota puris confectionem promovebunt. VESTI hyoſciamum & ficum diſciſſum cum theriaca huic ſcopo laudat. k) Tunc ſtadium apparet, quod illum ſuppurationis appellaverim, de quo mox tracturus ſim.

(Indicata interna.) Quæ ad cauſam proximam ſpectant remedia, in leniter antiphlogiſticorum claſſe verſantur, ſalia ſcilicet media v. g. Nitr. dp., Sal ammon. Tartar. Tatariſ., cum mellitis, cui ſyrup. de mecon. commode adjicere poſſumus. Certiſſime in aliorum conciliatione hæc motum humorum infringent. Ceterum ante nocturnam quietem opiata ſupra jam notata methodo egregio cum ſucceſſu propinabuntur. Infringunt irritationem, nervorum & cordis perturbationem egregie obruunt, doloresque, inflammationem aliaque ſymptomata producentes, optimo modo ſedant. Diæta ut in priori ſtadio ſit antiphlogiſtica. *Quando morbus in ſuo vigore fuerit, tunc tenuiſſimo victu uti neceſſe eſt.* l) Ceterum ad ſanguinem derivandum, & ad ſuppreſſum ventrem præcavendum, ejus lenis purgatio non ſine ullo ægri levamine inſtitui poteſt, ita ut bis de die moveatur. Ideoque potui ordinario tamarindorum vel prunorum pulpam, vel ſalinum quoddam remedium adjicere, vel decoctum

k) l. c. pag. 21.
l) HIPPOCRATES Aphor. Sect. I. aphor. 8.

coctum prunorum exsiccatorum pro potu ordinario præscribamus.

III. Stadii suppurationis cura. Pus confectum ex loco suo memoratis signis cognoscitur. Ad curam autem quod attinet, sequentibus inhæreamus animum.

(*Indicantia.*) Causam proximam ratione fluidorum in pure sub cute hærente invenies, & ratione solidorum, ut illud cute clausa amplectatur. Sponte disrupta vel per incisionem discissa cute in solidis & fluidis inflammatio perdurare consuevit & cavum cum vulnere adest. Symptomata supra locum jam occuparunt.

(*Indicationes.*) Causali indicationi ut satisfaciamus, pus confectum evacuetur, inflammatio superstes solvatur, abscessus cavum iterum repleatur atque vulnus cicatrisetur. Palliative nihil hoc in stadio faciendum occurrit, symptomata enim omnia, evacuato pure ad incitas rediguntur. Prophylactice necesse est, ut puris profluvium sustineamus liberum, ne harum partium nobilium fiat consumtio novaque generentur mala.

(*Indicata externa.*) Maturatione aliqua facta, statim fiat incisio, ne partes pure solvantur. Loco purulentiæ collectionis eminentiori derepente lanceola in abscessus cavum, donec pus ad ejus latus prosiliat, trudatur. Quandoque fit, quod lanceolæ usum plane repudient ægrotantes hoc in stadio; quo in casu emollientium usus ad spontaneam rupturam usque protrahatur. Frequenter autem

autem denſa craſſaque epidermide digiti palma circumdata eſt: tunc ob nobiliarum partium reſolutionem non admittat Chirurgus ſpontaneam diſruptionem. Conſumitur quidem epidermis, per longum vero temporis intervallum puri offert impedimentum quod vaſtari nequeat. Superſtitem inflammationem emollientium anodynorumque uſus protractus, atque digeſtivorum applicatio ſolvit. Purulentiam enim & ſanguinis ſtagnantis in pus converſionem promovent. Purulentiæ liberum effluvium, levis diligatio, & unæ vel plurium chordarum ex inteſtinis paratarum, applicatio adjuvat. Hæc cavi abſceſſus præmaturam cavere extennationem inſerviunt, ejus ſuperficiem, præſertim cum digeſtivis illinitæ, emolliunt. Inflammatione plane reſoluta & in pus converta, cicatrix coeat neceſſe eſt; chordarum abrogatio, vulneris per ſuturam ſiccam alligatio, atque ut citius res peragatur, digiti & antibrachii faſciatio, prorſus curam abſolvent. Gangrenæ ſtadium, niſi in prava corporis indole, rariſſime huic ſpeciei, magis autem profundæ ſupervenire conſuevit, & commodius alio loco de hoc mihi erit dicendum.

Curatio profundæ palmaris ſpeciei per omnia ſtadia.

Albinus m) aliique in ſtadio irritationis antequam oboriatur tumor & inflammatio, inciſionem difficilem reddentes, laudant operationem. Egregium

m) l. c. pag. 20.

gium præſtaret effectum, rariſſime Chirurgi auxilium autem hoc in ſtadio implorant ægrotantes, nedum operationem admittent, & tandem difficile eſt cognitu, an dolor tantum panniculum adipoſum vel profundius ſitas partes occupet?

I. Stadii inflammationis cura. (*Indicantia.*) Cauſam proximam hæc ſpecies cum priore in hoc ſtadio præter vehementiam in promiſcuo habet, ſymptomata autem ſupra in ſecundo inflammationis gradu indicata, attentionem noſtram omnino alliciant. Occurrunt enim phænomena tam adſtantium quam chirurgi animum non in exigua parte ſubinde reformidantia, v. g. dolores atrociſſimi, manus & brachii inflatio, febres, convulſiones, ſyncope &c.

(*Indicationes.*) Indicatio cauſalis ad cauſam proximam, inflammationis naturam ſcilicet, ſpectat. Omnem moveat lapidem Chirurgus, ut inflammationis reſolutionem curet; ex decurſu enim, qualem deſtructionem pariat ſuppuratio, palam eſt. Palliativa indicatio hac in ſpecie maximi eſt momenti; quantum in Chirurgo eſt in ſymptomatum mitigatione animum occupatum habeat. Prophylactica indicatio hoc in ſtadio rigoroſam deſiderat diætam.

(*Indicata externa.*) Hoc ſtadio quam maxime neceſſaria ſanguinis extractio ſupra indicato modo ordinetur; quantitatis ratione autem, ægri viribus, ætati, & ſymptomatum vehementiæ competat. Hirudines notata methodo apponantur.

Torcu

Torcularii applicatio & erecta brachii positio magnopere hic commendanda sunt. Emollientium anodynorumque remediorum per totius manus atque antibrachii ambitum applicationis extensio hoc in casu est necessaria. Lecto porro brachio elevato æger incumbat; sin autem ambulare cupiat, brachium in mitella ponatur, ne propter situm brachii declivem sanguinis impulsus augeatur. Simul animum intendamus, ut profundam in superficialem mutemus, & huic scopo in usum trahamus sic dicta revellentia. V. g. Linimmenti volatilis inunctionem & applicationem; hoc autem frustra adhibito vesicatorium ei palmam præripiet, dum majorem dolorem efficiet. *Duobus doloribus simul infestantibus, non tamen unum locum, qui vehementior est, alterum obscurat.* n) Venæsectiones autem emollientiaque semper horum usum præcedant. Ceterum revellentia solo digito affecto conferunt, emollientia atque anodyna aliis partibus continuo adhibeantur. Omnibus his auxiliis intra viginti horarum spatium incassum adhibitis; ad operationem qua certissimum auxilium sine mora nos confugere fas est. Periculum enim in mora, nullum enim aliud præsidium suppurationem hoc stadio periculosissimam præcurrere valet. Nunquam ideo ad puris confectionem incisio exponenda est. Incisione sufficiente facta partium relaxatio, sanguinis immediate ex vasis affectis profusio inde secuta, & levis hanc insequens suppuratio ullo sine incommodo solvent superstitem inflam-

n) Hippocrates aphor. Sect. 2. aphor. 46.

flammationem. Ergo incisio summopere est laudanda, remedia enim locum affectum non contingunt, & ex neglecta operatione subinde in gangrænam & sphacelum degenerat hæc species, unde caries, ac reliqua teterrima mala, quæ vix absque apicis digiti ablatione ad sanationem deduci possunt. Ad operationem ipsam autem quod attingit, duo momenta considerationem nostram concitant; ad locum nimirum & methodum ut respiciamus. Incisio nunc in parte graviter dolente, vel ubique doloris sensu æquali, qua dolor primo premerit ægrotum, fiat. Semper autem chirurgiæ peritus caveat ne lædat articulationem; ligamenta enim vaginalia & annuli ligamentosi tendinibus pro fulcimento inservientia, si discinderentur, tendo e loco suo desiliret, atque flexio inde desolaretur: porro periostium supra articulos se expandens incideretur, pus in articuli cavum stillare atque corruptionem extremitatum phalangum edere posset. Multo igitur certius scalpelli intrusio convenit interstitiis, membrana quippe ligamentosa non magnum præbet præsidium tendinibus. Ratione loci autorum non exiguum versatur dissensionis imperium. SAGAR nulli parti parcere asseverat. o) Cel. de HAEN nec tendines, nec arterias temperare necesse credit, sed lateris & articuli capsulæ incisionem dissuadere conatur. p) Mihi vero nullo modo latus repercutit operationem, arteria enim dissecta indeque creata hæmorrhagia non mediocri solamine ægrum in laetitiam conjiciet. Nisi

o) l. c.
p) l. c. pag. 218.

ſi ſponte clauderetur arteria, compreſſio ad ſanguinis profuſionem debellandam, jam ſufficiet. Nervorum arterias concomitantium punctio dira mala edere poteſt, quae Chirurgus per nervi transverſalem diſſectionem nec non anodynorum uſum protractum prævertit. Prope articulum neceſſariam operationem ad latus inſtituere quoque ſuadet PLATTNER. q) In hoc ſtadio topica venæſectio partisque relaxatio ægrum compreſſum modo liberat; lateralis ſectio his conditionibus lucide reſpondet. HEISTERUS alterius lateris inciſionem adeo laudat, niſi ægri poſt unius lateris inciſionem dolores nondum mitigatos eſſe ſentiant. r) Methodus qua nunc inciſio fiat, in eo conſiſtit, ut ægrotantis manum figamus, quæ igitur tabulæ ſeu alio duro corpore imponatur, ita tamen ut locus inciſionis Chirurgo apte ſit poſitus, tunc ſcalpellum ad os usque penetret, tali modo autem, ut vulnus in ſummo & profundo ejusdem ſit magnitudinis. Exigua inciſio ſemper abhorrenda eſt, ideoque ad digiti longitudinem locum perforet lanceola, ne tendo, autorum aſſertione, transverſaliter ſecetur, vagina autem findatur, quæ in transverſali ſectione clauſa maneret. In neceſſaria ad latus ſectione, transverſalis longitudinali præferenda eſt. Inciſio ſatis ſit magna, ne ex ſcalpelli punctione creentur ingrata mala, &

q) l. c. pag. 61.
r) l. c. pag. 1148.

& ægro molesta incisionis repetitione, praevertatur. Operatio hæc, cutis, tendinosorum partium epidermidisque resistentiæ, ac tensionis sensui addit colophonem. Quod quidem in nos est, doloris metum & sensum inter operationem mitigemus, quos per fasciationem compescere posse, audacter asseverat Cl. THEDENIUS. s) Antibrachium cum manu scilicet atque digitis, digito affecto illa in parte qua incisio fiat nudo remanente, fasciis amicire suadet, ac tali modo memorabili dolore experte incisionem f. fecisse, comprobat. Perpetrata operatione sanguinis effluvium haud supprimatur, sed eodem modo, ur supra monui, sustentetur. Ut incepta persequamur, emollientium anodynorumque protrahamus usum, & maturatio atque suppuratio tunc bene cedent.

(Indicata interna.) Quis est, qui rigorosum antiphlogisticorum usum hoc in stadio summe necessarium non laudabit? generaliter quidem hæc methodus egregie conducit; ad febris vero modificationem atque causam internam respicere, Chirurgo in re medica versato necesse esse, vix causa subest quare dicam. Dolor creat febrem, omnesque se- & excretiones turbat, bilis effunditur, transpiratio cessat, unde febris hoc in stadio vel bilioso-inflammatoria, vel mere inflammatoria urgere potest. Robu-

 stum

s) Neue Bemerk. und Erfahr. 1. Theil pag. 26.

ſtum athleticum corpus, meram, magis cacochymicum autem & cholericum bilioſo-inflammatoriam modificationem exhibebit. Extra agri mei fines ararem, ſi totum harum febrium decurſum cum cura deſcriberem, ſed neceſſaria tantum afferre mihi eſt conſilium. Febris igitur mere inflammatoria uſum nitri audacem cum mellitis & ſaponaceis vegetabilibus requirit. Veſperi autem, præmiſſa ſufficiente venæſectione opiata optimo cum ſucceſſu ſupra jam notata methodo propinentur. Ratione febris bilioſo-inflammatoriæ primo ſupra præſcriptam methodicam venæſectionem diſponat, tunc nata indicatione reſolventia & evacuantia antiphlogiſtica adhibeat Chirurgus. Si ergo nauſea, oris amarities, capitis dolor, appetitus læſio, præcordiorum plenitudo, lingua admodum impura adſunt, emeticum præſcribendum eſt. E contrario ſi ventris dolores, borborygmi urgent, dorſum atque crura dolent, urina jumentoſa conſpicitur, purgans antiphlogiſticum propinetur. Omnia hæc notata ſigna ſi non inveniuntur, lingua ſordida ſicca, urina crocea apparent, ſaburram per ſalia media ſolvere neceſſe eſt, donec vel ſurſum vel deorſum turgeat, & eliminari poſſit. Cautionem autem impendeat Chirurgus in opiatorum præſcriptione; in ſordium enim præſentia & ſtatu plethorico nullo modo in uſum recipi poſſunt. Ergo venæſectio, ſordiumque ejectio ſemper opiatorum uſum præcedat.

Ceterum

Ceterum axioma est practicum, ut in opiatorum usu, propter ventris suppressionem quam pariunt, clysmata ingerantur. Convulsionum atque spasmorum agmen hoc in stadio a tribus caussis nutriri videtur, a repletione scilicet, nimia sensibilitate atque irritatione. Quando igitur plethoræ symptomata atque inflammationis vehementiæ cruciare ægrum observantur, venæ incisio optimum exhibebit effectum. Quando sensibilitas urget opiata egregie conveniunt. Convulsiones autem ex irritatione nullo alio modo curantur, nisi tolli vel corrigi possit irritamentum. Ideoque v. g. sordes biliosæ, vel injuriæ externæ &c. ad incitas redigantur. Bene nunc notandum, quod plures harum caussarum simul adesse possint, quo igitur medendi rationes conciliandæ sint. Syncope aliquando superveniens, symptoma est spasticum & ut convulsiones palliatur. Ad hæc omnia respectum habeat artis medicæ consultus Chirurgus, nisi ægrotum suum de salute periclitari videat.

(*Indicata diætetica.*) Aëre puro refrigeratorio versetur languens, cibus ex penario exilium vegetabilium desumatur, potus sit aquosus, copiosus, refrigerans atque acidiusculus. Venter continuo mollis tenendus, & nisi sponte descendat per clysmata provocandus est. Summam observet quietem æger, & nullo modo animi affectibus molestetur.

II. Stadii ſuppurationis cura. Hujus ſtadii præſentia ex puris confectionis ſignis generalibus & parvo ſubinde tumore facilis eſt cognitu.

(*Indicantia.*) Prorſus cum illa prioris ſpeciei convenit cauſa immediata. Neglecta ex hujus ſtadii curatione varia aliquando occurrunt teterrima accidentia, caries ſcilicet, in vagina tendinum manu & brachio ſuppuratio & abſceſſus, tendinum eroſio ac corruptio, atque carnis exſuperantia ſubinde, omnia præcipue merentia attentionem noſtram. Ad eorum diagnoſin & curam quod ſpectat, alio loco fuſius explicabo.

(*Indicationes.*) Ut cauſam proximam tollamus, pus profunde ſub cute hærens per operationem exitum dare, atque tunc reliquam inflammationem reſolvere, neceſſe eſt. Prophylactico ſcopo non impeditum ſaniei effluvium adjuvemus.

(*Indicata externa.*) Ut in priori ſpecie notato modo adhibeantur remedia externa. Inciſionem ſcilicet exerceat Chirurgus, ſupra deſcripta methodo & loco in ſtadio inflammationis, emollientia reliquaque in ſtadio ſuppurationis præcedentis ſpeciei laudata remedia adhibeat. Dicta hæc omnia a levi gradu intelligenda, dum tractaverit ſtadium inflammationis vulnerarius, ibique non ſecaverit partem, nunc autem tempeſtive munere ſuo fungitur.

Ex

Ex curatione neglecta mala illa accidentia originem utplurimum petere solent. Pars ægra a suppuratione affecta vel sponte disrumpitur, vel nimis serotinus protractam exerimus incisionem. Omnia hæc mala proprios morbos, ideoque proprias suas curationes postulantes, constituunt; & ex pure retento diutius, orta sunt mala. Facta apertura sanies conspectum nostrum primo attingit, ideoque de mala suppuratione primo mihi est differendum.

In tendinum vagina, manu & brachio purulentia atque abscessus.

Si ergo ex neglecta apertione plus justo colligitur pus, ob tendinum vaginæ firmam structuram, in locum minus resistentem, vaginam tendinum nempe, vergit, atque per hanc ad manus volam quin & antibrachium adscendit, ibique phlogosin, puris majorem confectionem & abscessus parit.

(*Signa.*) Ex negligentia igitur in parte ægra puris collectione facta, vel operatio instituitur, vel sponte comminuuntur integumenta externa, saniesque promanat, majori autem quantitate quam in loco ægro versari posset, nullum ex apertione ægro infertur solatium, manus tumor scilicet non subsidet, dolorum agmen non minuitur, tandemque ex vaginæ vel manus pressione pus profluit; saniei collectionem a tendinum vagina amplecti explorata veritate asserere possumus.

Ceterum, alia puris confecti signa, in Vulnerarii considerationem trahantur, præter fluctuationem, cujus perceptio in tendinum vagina & sub palmari aponeurosi in tenebris versatur. Brachii tumorum abscessuumque diagnosis nullo modo obscuratur, purulentia sub cute subinde conspici, & fluctuatio percipi potest.

(*Indicantia.*) Causam proximam in solidis porrigunt, dolor & tumor, in fluidis inflammatio & puris collectio, quae ex suis signis cognoscatur. Symptomata aliquando ex neglecta cura accedentia in copioso puris profluxu indeque oboriente enervatione, subinde partium adjacentium corruptione & saniei in humorum massa resorptione continentur.

(*Indicationes.*) Ad causalem indicationem quod attinet, purulentiæ evacuatio per operationem est necessaria, hac facta, reliquam phlogosin resolvere & in pus convertere operas insigamus. Prophylactice partium corruptionem, puris profluvium nimium & resorptionem avertamus. Ergo & puris effluvium sine fiat impedimento curemus, atque per remedia convenientia saniei copiam atque corruptionem præveniamus.

(*Indicata externa.*) Operatio ad funditus causam solvendam immediatam unicum & præstantissimum exhibet axilium. Loco quo purulentiæ a cute clausæ percipiuntur signa, fiat incisio. Si ergo spontanea ruptura vel operatione facta

facta in parte languente, nulla ægrum permulcent consolatione, saniesque promanat ex vagina, vel non, aliaque generalia signa. Chirurgo locum quo pus hæreat, manifestabunt. Si vaginam aliasque phalangas obsidet pus, specillum per primam aperturam in vaginam ad illam, qua pus versatur, phalangem intrudatur, cuti externæ apprimatur, & super id scalpello incidatur vagina & cutis. Exteriora tunc petit sanies, & vulnus, ut postea dicam, curetur. Quantum potest semper juncturis parcendum, ligamenta firmiter in his hærentia, vaginæ tendinum non mediocre fulcimen præbentia, indeque puri effluenti impedimentum afferentia, nisi per saniei malignitatem jam destructa, nunquam descindere fas est; non illis autoribus, totam vaginam scalpello findere suadentibus, aures præbendæ sunt, interstitiorum dissectio enim; jam sufficit. Pus libere effluere valet atque vulnus in usu mox commendaturorum auxiliorum coarctari nequit. In vola manus sub aponeurosi palmari simul sæviente sanie, per incisionem phalangarum introducatur specillum, supra primum articulum cuti apprimatur & super id incidatur, tunc sulcatum specillum in hanc intrudatur aperturam, & super id plaga dilatetur, sanieique detur exitus commodus. Magna purulentiæ copia hic sæpius complectitur, cujus evacuationem uno tempore suscipere dissuaditur, ne convulsiones

& lipothymia ſubſequantur. t) His factis & nullum ægro ſolatium præbentibus, aliis in locis puris collectionem ſuſpectam habeamus, vel ſub ligamento annulari, vel ſub flexoribus ſupra pronatorem quadratum. Inciſionis palmæ fin s ideo ad arcum volarem usque ſuper ſpecillum ſulcatum propagentur, ſpecillum tunc ſub ligamento trajiciatur, atque ſupra hoc cuti apprimatur quo fiat inciſio. His peractis ſtatim funiculum linteum cum digeſtivo illitum per viam, a ſpecillo demonſtratam trajicere neceſſe eſt. Hac ratione moleſtia experte pus evocari & effluere, atque ulcus purgari poteſt, integro ſervato ſubinde ligamento annulari. Quandoque fit, quod omnibus his perpetratis ſymptomata indeſinenter ſævire pergant; hoc caſu inter flexores & pronatorem quadratum pus, quod ex ſuis ſignis apparet, continetur. Plaga ſupra ligamentum jam facta cum ſcalpello extendatur, flexorum tendines in carpi flexione a ſe invicem divaricentur, ut ad pronatorem quadratum perveniamus, tunc lanceola in abſceſſus cavum impellatur ut pus eliminetur. Si pus ibi locum non occupavit, vel evacuatur experte ægri levamine, variæ exſtant autorum rationes. PLATTNER ipſum muſculum affectum, ſupra ligamentum ubi in tendinem degenerat, præcidere, hocque artificium ligamen-

t) SCHNEIDERS chir. Geſchichte, 1 Theil. pag. 31.

gamenti annularis ſectioni, qua mox verba adjiciam, præſerre videtur u). Mihi vero in tendine nondum exeſo & corrupto hanc operationem exercere, fas non eſt. Rigiditatem ex ligamenti diſſectione ſequentem, avertere valemus, muſculum autem reſtituere velle falſa ſpe nos producimus. Revera, ſi ſemper ex ligamenti annularis ſectione oboriretur rigiditas manus, digiti rigiditas principatum teneretur, teſte autem experientia nunquam non fieri conſuevit. Alii annularis ligamenti fiſſionem laudant. Hoc ligamentum ſæpe dolores diros, inflammationemque nutrire poſſe aſſeverat GARENGEOT, x) procul dubio enim, ligamentum a phlogoſi & purulenta materia infeſtari poteſt. Plerique autores fere aſſerunt, modo non ſemper manus rigiditatem remanere, ideoque huic, quantum poſſe, parcendum eſſe. Contrarium autem, non ſemper oriri rigiditatem probat TOMLINSON. y) Ex his ergo colligere licet, ſi inflammatio adſit aliaque remedia nihil proficiant, ſectionem fieri poſſe & debere, ut amputationis neceſſitatem vel ægri ex convulſionibus interfectionem caveamus. Ne autem rigiditate, curaperacta, moleſtetur ægrotans, inciſio in carpi flexione fiat, & ad plenariam ſanationem manus digitique in flexio-

u) l. c.
x) l. c. pag. 313.
y) l. c. pag. 78.

flexione perſeverent, ne tendines proſiliant. z) Quando arcus ſuperficialis aliaque vaſa arterioſa diſcinduntur, hæmorrhagia, niſi ſponte ceſſet, per compreſſionis vel ligaturæ adjumenta cohibeatur, ſtiptica enim afferunt noxam. a) Quandoque ſit, quod hæc languenti nullum præbeant levamen, dolores non leniantur, remedia emollientia & anodyna nihil valeant, abſceſſus autem non inveniantur. Varii tunc tendinis exſtirpationem laudant. b) GARENGEOTIUS tendinem ubi parti muſculoſæ inhæret, diſcindere ſuadet. c) Ut mea fert opinio remedia externa atque interna nata indicatione adhibita manusque & digitorum flexio, hanc operationem, fere crudelem non neceſſariam efficient, & in caſu deſperato tantum ad eam confugerem: tendine enim diſciſſo vel radicitus exterminato digiti flexio ceſſat; tandem non exiguas complectitur difficultates hæc operatio, ſi v. g. profundi muſculi tendo præcidere opus eſſet. Ut phlogoſis nunc ſolvatur abſceſſusque purgentur, emollientium leniumque digeſtivorum uſus commoda affert auxilia. In genere norma eſt practica, qualibet incisione peracta, his uti, priusquam ad novam ſectionem moras rumpamus. Emollientia anodynaque ſubinde ſufficere non ſolent, tunc mea ſenten-

z) GARENGEOT l. c. pag. 319.
a) Idem l. c.
b) LA FAYE l. c. p. 722.
c) l. c. pag. 313.

ſententia, egregie lixivium commune ſaturatum cum his conciliatum, vel in hoc manus immerſio qua reſolvens proficiet. Sanguinem enim circa abſceſſum ſtagnantem omnem in pus convertere non congruit, & fieri non poteſt. Digeſtiva forma injectionis, & ſpongia marina his imbuta, adhibere competit, forma unguenti cum turundis quoque apponi poſſunt. Ceterum laxa ſit deligatio, nocent enim linamenta ſi nimium premunt. Laude GARENGEOTII cum faſcia octodecim capitibus fiat deligatio. d) Inciſionibus parvis chordas ex inteſtinis paratas ponamus. Varii autores ab vulneris labiis aliquid auferre in morem habent, ne nimis intumeſcant atque diligationi obſiſtant. e) Chordæ autem his incommodis providebunt, emolliunt, purulentiam promovent, atque ut tumentes turundæ agunt. Funiculus, ſi inciſio ſupra ligamento annulari neceſſaria fuit, quotidie digeſtivo illitus protrahatur. Ligamentum diſciſſum, ut mea fert opinio, reſoluta inflammatione, ad ſanationem, quin ad reunionem fortaſſe ferre valemus, per duo ſplenia unum ad pollicis dorſum & alterum lateri oppoſito applicata, & per faſciam unientem, ab Ill. RICHTERO deſcriptam, f) adeo ut vulneris labia, quantum poteſt, ſe contrectent. Ten-

d) l. c. pag. 320.
e) LA FAYE l. c. pag. 721. ALIX obſerv. chirurg. Faſcic. 4. pag. 100.
f) l. c. p. 169.

Tendine nullo modo affecto, inter curam digitus ſitum habeat extenſum, ut uſus conſervetur, inflexo enim digito cicatricis figuratio poſt curam, digiti, ſine ejus fiſſione, non admittit extenſionem. g) Tendinem diſciſſum flexionis extinctio inſequatur, ideoque inter ſanationem digiti ſitum ſemi-inflexum curet Chirurgus, ut poſt illam in eo perſeveret digitus. Brachium in mitella, manu aliquantiſpei pendente, ponatur, ne cubitus ſupine pendeat, & affluxus perduret, pus autem libere exitum experiatur. Ut proximarum partium corruptioni occurramus, pus ſine ullo impedimento promanet, laxe igitur deligetur pars, ſatis repetatur obligatio, ſufficienti gaudeat amplitudine inciſio nimiaque purulentia cohibeatur. Puris copioſum profluvium præveniri poteſt per uſum digeſtivorum tempore opportuno ſepoſitorum, & ſiccam, cum ſpongia marina, deligationem. Abſorptioni obviam ire poteſt Chirurgus, ſi ſpongiam marinam atque auxilia puris effluvium ſervantia, in uſum trahet. Ut brevibus verbis adjiciam, omni nunc ſoluta inflammatione ſicca ſit obligatio, pure autem mitius fluere incipiente, ſetaceum chordæque ex uſu projiciantur, atque per faſciam expulſivam cum Thedeniana faſciatione conjunctam omnia ad fines optimos perduci poſſunt. Brachii axillarumque abſceſſus eodem modo curentur.

(*Indicata*

g) La Faye l. c. pag. 722.

(*Indicata interna.*) Cavi abſceſſus novam repletionem, chinæ uſus promovet; enervationem ex puris copioſa profuſione cortic. peruv. ingeſtio cavet.

(*Indicata diætetica.*) Aërem purum continuo ſpiret æger. Ne autem enervatione conqueratur, ex penu nutritientium concoctu facilium ingerat. Omnibus animæ affectibus abſtineat. Ceterum ſe- & excretiones bene cedant, ne ex eorum retentione vel nova inflammatio vel alia ſymptomata originem petant, & pus reſorptum juſto eliminetur.

Tendinum eroſio atque corruptio aliquando ſuperveniens, optimo modo per exciſionis opera curatur. Spontaneam enim ſeparationem nunquam exſpectare licet, ob gradum facientem corroſionem ad tendinis longitudinem & purulentiæ accumulationem. Auferendum igitur cum forfice quod in tendine oculis exeſum appareat, in ſana ſua parte tendo igitur præcidendus, niſi a digito reſolutus fuerit, ſubſecandus & extrahendus eſt. Niſi vulnus fines eroſionis attingat, manus flectenda & cum forcipe tendo protrahendus, vel ulcus ſcalpello extendi debeat.

Pterygium.

Occurrit aliquando, quod veterum nomine πτερυγιον ſive *hyperſarcoſis*, carnis exſuperantia ex

ex incisionibus procreetur, has obturet atque purulentiæ effluxum cohibeat. Quod vitium extinguere varia laudantur auxilia. Alii scilicet autores caustica potentialia, alii levem compressionem h) in usum vocare suadent. GLANDORFIUS ex escharoticorum usu magis magisque carnem increscere asseverat, atque dolores vehementes inde oriri. Cel. DE HAEN digiti, post incisionem in aquam tepidam, immersionem, qua prophylacticum auxilium laudibus extollit, i) quod mea sententia, si laudare ausim, chordarum notatarum usus quoque præbere posset. Hoc pterygio orto ego cum PLATTNERO k) forfice omnia exciderem. Si autem excisioni obstinaret ægrotus, escharoticis utendum esset, v. g. alum. ust. lap. infern. &c.

Caries.

Caries duplicis generis, *sicca* videlicet & *humida* a Chirurgis observata in panaritio quandoque locum occupare potest. Plurimum autem ob puris interclusionem, indeque factam erosionem, humidam observare solemus, sed cariem siccam ossa hæc quoque afficere posse, quis est qui refutabit?

(*Signa.*) *Siccam* adesse, noscitur ex abscessu nullo modo ad sanationem perducendo, ex osse

h) *Tomlinson* l. c. pag. 72.
i) l. c. pag. 219.
k) l. c. pag. 63.

ſatis phalangibus omnibus remediis, ob metum inſtantis gangrænæ, præferenda eſt amputatio.

(*Cauſæ ſtagnationem parientes.*) Frigus calenti digito ſubito applicatum, contuſio quæ effuſionem peperit, humorum ſtagnationem involvunt. Præter generalia, lenia adſtringentia & reſolventia in uſum vocari requiritur, ut humores ſtagnantes in humorum maſſam iterum propellantur. Ergo ſal. ammon. in aceto ſolutio, herbar. aromat. infuſio v. g. ex millefol. menth. &c. Liniment. volat. &c. ægro digito apponi poſſunt.

CAP. XII.

De remediis empiricis ex autoribus collectis & hodie uſu dignis.

His præmiſſis omnia ſic dicta empirica remedia in claſſem methodicorum plane recipi poſſunt. Omnia hic omitto ſuperſtitioſa, characteres, ſtercora &c. a veteribus laudata.

(*Remedia empirica irritationem lenientia.*) RHAZES Olei tepidi inunctionem laudat x). CHALMETEVS ovi albumen cum oleo violato magis dolores arcere, quam narcoticum, expertus eſt y). FABRIC. AB AQVAPENDENTE fomentum cum aqua calida vel immerſionem, ita tamen ut vix digitum attingat, laudibus effert z). RIVERIUS digitum

x) Liber diviſionum cap. 137.
y) Enchirid. chirurg. cap. 36.
z) l. c. Part. I. cap. 103.

tum auri felis impoſuit a). Ut balneum animale mea ſententia agit, fortaſſe digiti in cavitates recens mactorum animalium, immerſio egregiam uſum præſtat. THEOPHRAST. PARACELSUS anodyna, narcotica & mandragoram in uſum trahere jubet b). Aqua vegeto mineralis Goulardi ab aliis commendatur. Theriaca externe applicata c). LONICERUS folia ſambuci & ebuli contuſa celebrat d). Paronychiæ herba a veteribus laudatur, mea opinione qua emolliens agit. FELIX PLATER ſuccum cicutæ applicat e). TABERNAEMONTANVS rutam contuſam cum theriaca permiſtam & ſaliva jejuna ad emplaſtri formam redactam, ſuadet f). LIEUTAUD immerſionem digiti in aquam calidam laudibus extollit g). HELMONTIUS cruorem cum pelle talpæ recenti digitum circumvolvere ſuadet; agit ut balneum animale. Muſcum cum vino coctum in momento dolores ſedare, ſi digitus ejus vapori exponatur & deinde apponatur, affirmat CAMPY h). HECQUET balſamum

a) Obſervat. centur. 4. Obſerv. 36.
b) l. c.
c) Hannöverſch. Magazin anno 1769. 74. Stück.
d) Cap. 66.
e) l. c.
f) Lib. I. Sect. 4. cap. 31.
g) Inbegrif der ganzen medicin. Praxis 1. Th. 2 Band pag. 290.
h) Chirurgia parte 5. cap. 7.

mum ex tabaco, cynogloſſo & oleo olivarum coctum laudibus extollit i).

(*Remedia empirica contra atoniam.*) Rhazes digitum in principio in nivem ponere donec obſtupeſcat, ſuadet. k) Chalmetus adſtringentia cum anodynis præſcribit. l) Avincenna in aceto calido vel aqua frigida digiti ſubmerſionem celebrat m) et alio loco camph. cum aceto & farina applicare jubet. Guide de Chauliaco acetum purum, aut cum mucilagine pſyllii aut cum galla & corticibus granatorum ſummopere laudat. n) Hippocrates gallam viridem cum aceto ſuadet, o) Cel. Thedenius aquam ſuam ſclopetariam calefactam cum faſciatione commendat. p) Aqua vegeto mineralis Goulardi hujus loci eſt. Cum ſpiritu vini camphorato lavatio ab aliis laudibus effertur. Cuba vincam pervincam contuſam præſcribit.

(*Remedia empirica in humorum ſtagnatione.*) Felix Plater paſtam ex melle, farina, & pauco

i) Medecine, chirurgie & pharmacie des pauvres Tom. 31. pag. 83.
k) l. c.
l) l. c.
m) Lib. 4. Fen. 7. Tract. 4. cap. 9.
n) Tract. 2. de apoſt. cap. 4.
o) Lib. epidem. 4.
p) Unterricht für Unterwundärtzte pag. 248.

co ſalis applicavit. q) DIOSCORIDES radicem bryoniæ cum oleo coctam ſuadet. r) Ego autem ſuccum recentem vel radicem recenter contuſam præferrem. Unguentum neapolitanum corio illitum & applicatum laudatur. s) CUBA fel taurinum laudat. Aqua ſtillatitia ſempervivi commendatur, mihi vero ſuccus expreſſus præferri meretur. Succus cicutæ a PLATERO laudatur. Fomenta ex ſpiritu Mindereri & oleo amygdalarum a SAGARO laudibus extolluntur. t) Lixivium ex cineribus vitis paratum calidum in quo digitus ſubmergitur a LIEUTAUDIO præſcribitur. u) Omni hora duodecima cataplasma ex braſſica rapa applicare jubet UNZER. x) LABAT vitellum ovorum inquo ſalis communis aliquid ſolutum fuit circa digitum per 48 horarum ſpatium apponere celebrat. y) AGRICOLA unguentum ex allio & aſa foetida anaticas partes & aceto q. ſ. contuſ. cum album. ovor. ad conſiſt. unguenti paratum præſcribit, & toties exſiccatur, renovetur. z) ANTON DE HEYDE ſal volatile oleoſum illinere præſcribit. a)

(*Poſt-*

q) l. c.
r) Lib. 4. cap. 176.
s) Journal oeconomique.
t) l. c.
u) l. c.
x) mediciniſch. Handbuch. pag. 219.
y) Itiner. american. pars 4. Tom. 1. pag. 101.
z) Chirurgia parva Tract. 5. pag. 559.
a) Obſervationes medicæ pag. 72.

(Postmonitum.) Aliquando post curam *intumescentiam* digiti affecti, vel *rigiditatem* articulorum restare observamus. Tumorem restantem balneis tepidis curavit ALIX. b) Rigiditatem sequenti modo sanavit SCHNEIDER. Quater de die digitum in lacte calido vaccino submersit, mane & vesperi articulum modico calore frixit cum unguento ex olei thereb. Drachm. j, ol. lilior. albor. Unguent. de alth. aa. Unc. j M.f. unguent. c) In morbi fine semper applicentur cataplasmata confortantia, vel foment. ex vino aromatico. d)

b) l. c. pag. 100.
c) l. c. pag. 12.
d) LA FAYE l. c. pag. 722.

THESES.

I.

Causa phthyseos pituitosæ non est semper debilitas & laxitas pulmonum.

II.

Paracenthesis thoracis in hydrope pectoris tuto adhiberi potest.

III.

Venenum gonorrhϾ venereæ indolis esse potest.

IV.

Dyssenteriam albam in crusta pleuritica consistere credo.

V.

Hæmorrhoides nec sunt laudandæ nec plane rejiciendæ.

VI.

Usus acidorum in febribus inflammatoriis necessarius est.

VII.

Pus prima sua principia ex lympha coagulabili ducere existimo.

VIII.

Trepanatio cranii tam in suturis quam aliis locis institui potest.

IX.

Nullus medicus practicus arte chirurgica carere potest.